
SIC LÆTA QUIESCO

SYMBOLARVM
LITTERARIARVM
VOLVMEN II.

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA

SIGNA LAPIDES NVMISMATA GEMMAS

ET

MONVMENTA MEDII AEVI

NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN SECVNDVM


Ornatum Tabulis III. *aere incisis*



FLORENTIAE. CIↃ. IↃ. CC. XLVIII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO

PRAESIDVM PERMISSV



AMPLISSIMO PRAESTANTISSIMOQVE

OTTOLINO OTTOLINIO

NOBILI VIRO VERONENSI

CVSTOZIAE COMITI

ANT. FRANCISCVS GORIVS

DEVOTVS NOMINI EIVS

D. D.



Olent eruditi homines, quum aliquod Opus ſuum alicui Viro nobiliſſimo conſecrant, fuſiore calamo non ſolum merita, & virtutes Maecenatis

ſui recenſere, verum etiam Familiae decora, & Maiorum praeclara geſta ad caelum ferre, ut id iure quidem optimo ſe facere teſtentur. Dedicationes haſce qui legunt, immenſa propemodum verborum pompa, & ingentium encomiorum adparatu oneratas, vel non ſatis probant, vel quandoque ita criminantur, ut ſtatim, perinde ac recentia quaedam ſepulcrorum elogia, cenſeant ſpecioſa mendacia continere. Ab hac tam frequenti cenſura immunem me eſſe intelligo, OTTOLINE COMES PRAECLARISSIME, *dum Tibi propter egregia tua omnium laudibus teſtata in Litterariam Rempublicam merita, & in me quoque ſatis luculenta, animo lubens offero Volumen hoc ſecundum mearum* SYMBOLARVM, *rogoque ut perhumaniter ſinas ornari immortali tuo Nomine longe ſplendidiſſimo. Quum enim primum earumdem* SYMBOLARVM *Volumen Eminentiſſimo Principi, S. R. E. Cardinali Bibliothecario Doctiſſimo,* ANGELO MARIAE QVIRINO, *Brixienſis Eccleſiae Pontifici Optimo venerabundus inſcripſerim, quem Tu ipſe propter eximias virtutes, inſignemque doctrinam, & cum eius Gente adfinitatem tuam maximi*

ximi

ximi facis, & merito; iam perſpicue vides, me lucubrationes haſce dedicaturum ſummis illis Viris, qui inter praecipua Litterati Orbis decora & ornamenta unanimi conſenſu, magnoque omnium plauſu, atque adprobatione cenſentur. Hoc itaque ipſo tam magno & eximio honore contentus, nihil dico de tua pietate, ac probitate, ſuavique morum candore; nihil de tua prudentia, iuſtitia, integritate, rerumque omnium capaci mente; nihil de omnigena, qua excultus es eruditione; de luculenta ac toties teſtata doctrina tua, quae ab ipſa adoleſcentia tua ſumma cum laude ſpectata eſt Senis primum in Nobili Ptolemaeo Collegio, in quo egregie re geſta, adeo praecelluiſti, ut celeberrimae illius Academiae Princeps renunciatus ſis, Doctis Viris adprime carus, arctiſſimo benevolentiae atque amicitiae vinculo immortali Viro Bernardino Equiti Perfecto, poſtmodum in Romano Capitolino Poëtae Laureato, noſtri temporis primo, devinctus; deinde in Florentinis Athenis, valde Litteratis omnibus gratus, praeſertim vero Auguſtis Mediceae Gentis Heroibus probatus; tandem Romae in ampliſſimo illo maieſta-

tis ac ſapientiae domicilio; in quo quum mirifice mentem tuam optimis diſciplinis refertam haberes, quam maturo acrique polleres iudicio, luculentiſſime oſtendiſti non ſolum in privatis doctorum hominum conventibus; ſed etiam in publicis illis maxime illuſtribus Academiis Arcadica, Capitolina, & Conciliorum, quae de Propaganda nuncupatur; in qua Pontificio & Civili Iure, ut eras inſtructiſſimus, quum tecum Viri Sapientiſſimi conſiderent, quos deinde propter egregiam doctrinam, dignitates, & merita totus Chriſtianus Orbis valde ſuſpexit atque eſt veneratus, & tecum de graviſſimis Religionis ac Fidei rebus diſſererent, eorum exiſtimationem ac benevolentiam ſummopere Tibi conciliaſti: quod iidem Scriptores complures litteratiſſimi praeclaris ingenii ſui editis monimentis (ex quibus non pauca Tibi inſcripta ſunt) teſtatum reliquerunt. Hinc ſtatim enatum tecum ſummorum Praeſulum, ac doctrina praeſtantium Virorum Litterarium illud Commercium, quibuſcum res Theologicas, Philoſophicas, ac Philologicas, ſane difficillimas, gravi iudicio ad haec uſque tempora pertractare conſueviſti; ut ſi Epiſtolae illae tuae in unum corpus

pus concinnentur, totidem veluti Dissertationes haberi possint, Eruditorum oculis, & adprobatione dignissimae. Iam satis superque constat, ab eo usque tempore, quo in Palladis, & Themidis sacraria penetrasti, Te nihil aliud propemodum fecisse, quam integros dies summa cum voluptate insumere in lectione optimorum Scriptorum cum antiquorum, tum recentium, praesertim Conciliorum, Sanctorum Patrum, Theologorum, Philosophorum, ac Philologorum magni nominis, quorum libris Bibliothecam tuam lectissimam ac locupletissimam adeo instruxisti, ut non postremum inter Admiranda Veronensia decus & ornamentum habeatur. Haud igitur opus est in tanta tuarum virtutum luce, atque tot ubique micantibus tuae doctrinae editis testimoniis, ut pluribus verbis praedicem, atque extollam tui generis claritudinem, decora, atque eximia in patriam merita; multoque minus ea quibus circumfluis fortunarum bona, quae quum externa sint, ac saepe etiam indignis obveniant, parum ad commendationem faciunt, ad meritum autem omnino nihil: hoc ipsum singulari elogio complectar, Te revera Nobilis, &

Docti

Docti Viri exemplar esse absolutissimum. In tanto virtutum ac laudum fastigio, quum a Deo Optimo Maximo aliorum beneficio sis conlocatus, cum incredibili illa in omnes humanitate, in me quoque plane maxima, adeo certat singularis modestia tua, pudorque ingenuus, nobilissimi animi tui peculiare ornamentum, ut testari publice cogar, Te invita admodum Minerva, hunc mihi aliisque honorem de Te loquendi contulisse. Incassum tamen; etsi enim os mihi obstruis, ne multa, ut decet, de Te, tuaque multiplici eruditione loquar; tamen qualis ac quantus sis, testati iam sunt celeberrima atque eximia illa Litterarum lumina Eminentissimus HENRICVS NORISIVS, *qui Te Adolescentem Concivem suum sibi dicatissimum, Romae iam morantem, ob eximias animi dotes apprime dilexit: cui Tecum conloqui, tuaque uti amicitia, & consuetudine in deliciis fuit: qui Te tanti fecit, ut insigniora suae Bibliothecae Volumina, quibus potissimum usus fuerat, quaeque non paucis ad eorum marginem adpositis observationibus adornaverat, testamento Tibi reliquerit: itemque* FRANCISCVS BLANCHINIVS, *Praesul Romanus,*


nus, & ipse non solum patria, sed etiam amore Tibi coniunctissimus; Vir doctrina, & morum sanctitate celeberrimus, qui Tecum Astronomicas suas Observationes communicare frequenter consuevit, ac Tibi inscribere. His addere lubet Doctissimum Antistitem Perimezium; qui in Praefatione ad suas Ecclesiasticas Dissertationes, quas editas laudavit V. Cl. Ioseph Valletta, quanti Te faceret, luculenter testatus est. Complures etiam adpellare possem iam fato functos litteratissimos Viros, Fontaninium, Georgium, aliosque, ac praesertim Florentinos, inter quos eminet Salvinius, praeceptor meus; innumeros quoque qui nunc feliciter vivunt, ni copia splendoris nominum eorum offunderer, ac vererer ne Dedicatoria haec Epistola ad exitum suum non facile perveniret. Pro me igitur dum hi magni Viri loquuntur, & cumulate testantur, quam maxima sint tua in bonas artes ac studia priscarum rerum merita, quam tutum in singulis disciplinis iudicium, quam insignis bene de Musarum cultoribus merendi voluntas tua, quae officia, ac praebita frequenter auxilia; id & ipse etiam post tot luculenta testimonia multis exemplis ostendere ac de-

cla-

clarare possum. Illud unum fateri non sine pudore quodam cogor, conceptis antea votis meis haud cumulate facere nunc satis, dum tam exiguum mei erga Te obsequii, & grati animi monimentum offero, quum maius quid animo meditarer; sed quia in promtu aliud nunc non est, parvam hanc benigno, ut soles, animo suscipe benevolentiae tesseram, in qua humilia quidem, sed sinceri nunc haec vota mea inscripta volo, quibus perpetuo Tibi, DOCTISSIME COMES, *constet, me maximopere cupere, ut quamprimum sospes sis, atque incolumis, & pristina recuperata valetudine, pro qua preces, & hostias Deo bonorum omnium largitori perpetuo offeram, quam diutissime vivas & floreas, & meis, aliorumque laboribus, ut facis, humanissime faveas.*

In meo Museo scribebam XIII. *Kalendas August. Anno R. S.* CIↃ. IↃ. CC. XXXXVIII.

PRAE-



PRAEFATIO.

PAucis te moror, LECTOR BENEVOLE, in hoc ipſo mearum SYMBOLARVM ſecundi Voluminis veſtibulo: haud enim opus eſt, ut ait Terentius, auri montes polliceri, & praeter modum laudare Opuſcula Clarorum Virorum, quae in eo exhibentur. Satis eſt, ſi optime frugis, & ſtudioſis profutura a ſummis Viris iudicentur. Si qui vero fuerint ſcioli, qui obtrectationes invidis oculis oggerant, eos plane non curo, quin potius contemno.

Prin-

Principem locum tenent Diſſertationes duae Celeberrimi Ioannis Baptiſtae PASSERII Piſaurenſis, perdoctis obſervationibus, & quidem reconditis, e Theſauro Etruſcae Antiquitatis depromtis, locupletatae; quarum prima eſt *de Nummis argenteis Etruſcis antiquorum* PAESTANORVM, qui nunc primum, me rogante, ab eodem amiciſſimo Viro egregie illuſtrati, Nummographis innoteſcunt; de quibus, quum monuerim nonnulla in ſequenti Proëmio, quod eandem Diſſertationem praecedit, alia plura adnotare, plane ſupervacaneum videtur. Si placuiſſe aequis priſcorum Monumentorum aeſtimatoribus intelligam, lubenter proferam in alio SYMBOLARVM Volumine aereis Tabulis inciſa non pauca adhuc inedita, oppido rara, antiquorum Capuanorum, ac praeterea Populorum aliquot Campaniae incognita Numiſmata. Priora ad eos, non vero ad Peruſinos, ut nuper aliquis perperam cenſuit, pertinere indicant litterae in exergo ita ſcriptae V Π ᴎ ꓘ: hoc eſt, *Kapu*: nimirum vel *Capuae*, vel *Capuanorum*.

Al-

Altera eiusdem V. C. PASSERI Dissertatio, quam ex singulari humanitate sua, & benevolentia mihi inscripsit, DE HELLENISMO ETRVSCORVM egregie pertractat. Ostendit siquidem Etruscam Linguam cum antiqua Graeca adfinitatem habere, atque ex eodem fonte derivatam; adeoque ex eiusdem Graeci sermonis aditis penitioribus multa interpretanda esse: quae quidem mea fuit opinio, iamdiu proposita in Volumine Primo Musei Etrusci: quam aliqui ex Italis suae potius laudis, & gloriae, quam veritatis studiosi, multis ambagibus sibi plaudentes, contempserunt; atque omnia sus deque confundentes, Cimmeriis quibusdam obfusis tenebris, id scriptis suis agere voluerunt, ut omnes intelligerent, impossibile prorsus esse, ut Etrusca scripta Monumenta quoquo modo explicari possint; atque ita susceptum iter, obiectis difficultatibus, impedire conati sunt. Quantum vero Doctissimo PASSERIO debeat Etruscorum natio, quantum bonae Litterae, & venerandae Antiquitatis studia, licet ex his aliisque editis eius Operibus sit exploratissimum; tamen etiam ex aliis edendis quamprimum

multo clarius patebit. Alia interim idem Amicus meus optimus, dum haec ſcribo, propoſuit praeclara convivii ſui apophoreta, & ſtatim ad me miſit; nimirum Diſſertationes duas, quae in ſequentibus SYMBOLAS meas ornabunt: alteri titulus eſt, DE HEBRAISMO AEGYPTIORVM; alteri vero DE HEBRAISMO LATINORVM. Profecto, non ut ſibi nonnulli inaniter ſuadent, facilis res eſt, rei Antiquariae ſcientia, quae, omnium doctorum hominum conſenſu, non acquiritur niſi poſt diuturnos labores, ac perpetua ſtudia, poſt adſiduas veterum Monumentorum, & quidem omnis generis plurimorum, inſpectiones, obſervationes, meditationes, conlationes: quas aerumnoſas, ſed valde iucundas exercitationes; qui antequam ſcribant, non praemiſere, multa verborum tantum longis ambagibus contextis, expilatiſque Lexicis, diſſerere poterunt, ſed omne punctum non ferent; nec quod ſcribunt intelligent, aut id praeſtabunt, ut expoſita ab aliis intelligantur: quare nil mirum, ſi quae ipſi neſciunt (nunquam tamen ſe neſcire fatentur) alios neſcire effutiant, & identidem An-

ti-

tiquarios audaces dicant, & viſiones videre exiſtiment.

Poſt egregias has Diſſertationes Passerianas, ſequuntur Monumenta aliquot Etruſca, & Romana antiqua, nunc primum deſcripta, quae opportuniore in loco aereis Tabulis accurate inciſa, litteris quoque Etruſcis ad exemplum archetyporum expreſſis, Obſervationibus dilucidabuntur. Primum, breviter deſcripto Hypogaeo Etruſco nuper invento in Agro inter Peruſium ac Tudertum, eiusque funebri adparatu, adfertur epigraphe ſepulcralis Columellae marmoreae, cuius forma non differt ab editis a me in Tomo iii. mei Muſei Etruſci, ut videre eſt in Parte iii. Tab. xi. xvi. & xviii. de quibus luculenter Cl. Passerius diſſeruit.

Alterum eſt baſis ahenea quadratae formae, intus vacua, dextrorſum fracta, quae adſervatur in nobiliſſimo Academiae Etruſcae Cortonenſis Muſeo, quam nunc primum doctis hominibus notam facio, favente meis curis V. C. Reginaldo Sellario I. C. & Canonico Cortonenſi, qui nuper dum adeſſet conlationibus Illu-

 ſtrium

ſtrium Sociorum Columbariorum Florentinorum, mihi humaniſſime communicavit. Quanti haec ipſa baſis, atque eius epigraphe Etruſcis litteris concepta facienda ſit, mox ſummis digitis indicabimus. Credibile eſt ſuſtinuiſſe Iovis ſimulacrum, & donarium hoc poſuiſſe eidem Numini Etruſcos Cortonenſes; nam *Iovis* nomen, & *Cortonenſes* deſignant litterae in eo ſcriptae ıvvı, *Iovi*, & ИVꟼAVƆ, *Cortonenſes*; reliquarum vero integrum ſenſum nobis iniquae temporum vices, vel barbarae manus ignotum eſſe voluerunt.

Sequitur Deſignatio novi Operis, quod a me duobus fere ab hinc annis ingentibus ſumtibus ſedulo paratur exornaturque, cuius jam fere quingentae Tabulae aeri inciſae ſunt. Iſtud Opus eſt THESAVRVS GEMMARVM ANTIQVARVM, quae nunquam ad hoc tempus in lucem prodierunt; adeoque ſelectae, pulcerrimae, ac perrarae ſunt, omnigenam eruditionis copiam complectentes, ad augendam antiquam Mythicam & Heroicam Hiſtoriam, item etiam veterum Theogoniam. Huius Theſauri priora duo Vo-

lu-

lumina in folio, Deo dante, in ſequenti anno prodibunt. In his adferuntur Gemmae Aſtris inſignes, quas proinde ASTRIFERAS adpellavi; quam Collectionem meam nunquam antea excogitatam, ne dum tentatam, nuper Litterato Orbi patefecerunt Socii Academiae Olmucienſis Incognitorum Litteratorum, mei Collegae eruditiſſimi, atque ex his Ephemerides Florentinae. Egregius Vir Ioannes Baptiſtae PASSERIVS aerumnoſorum operum ac proinde praeſtantium lucubrationum flagrantiſſimus, quum eidem hanc Collectionem elegantiſſimam oſtendiſſem, ipſe ſuis Obſervationibus ornare, & locupletare voluit, praemiſſis ſuis Prolegomenis, quibus arcana quaedam Vetuſtatis felici conatu, publico rei litterariae bono, reſeravit.

Quid moliar collectis fere cc. Gemmis HOMERICIS, ne quid dicam de aliis Monumentis rariſſimis ad HOMERVM illuſtrandum pertinentibus, inferius expono. Eidem quoque Cl. PASSERIO complura Monumenta vetuſtiſſima Etruſcorum obtuli, quae occaſionem ei praebuere, ut HETRVRIAM HOMERICAM, ſive HOMERVM

ETRVSCVM insigni labore meditatum feliciter exornet, de quo opere spem facit in Dissertatione II. heic edita, mihique ab eo humanissime inscripta, uti pag. 37. legere est.

Post hasce delicias, SYMBOLAS meas ornat perdocta, & elegans DISSERTATIO CRITICA IN VERGILIVM, qua non peccasse Latinorum Poëtarum Principem ostenditur, dum horribili illa tempestate extemplo perculsum Aeneam describit. Hanc mecum olim communicavit Auctor ipse, vir ob eximiam doctrinam, morumque integritatem, & candorem spectatissimus; ea tamen conditione, ut eius nomen reticerem: cui profecto alia multa, quorum Adversaria apud me sunt, addidisset, ni morte nobis ac litteris praereptus fuisset.

Quae in hisce SYMBOLIS promiseram Monumenta medii aevi, ea nunc proferuntur, quae insignia admodum sunt, & Historiam valde illustrant. Primum, quod continet Praeceptum Lotharii Imperatoris Augusti, mecum adiectis suis eruditis Observationibus communicavit Vir de Litteris optime meritus, eruditione con-

spi-

ſpicuus, itemque Socius Columbarius Florentinus, Franciſcus Comes FLORIVS, Canonicus Aquileienſis; alterum, Bullam EVGENII IV. complectens; nuper ad me miſit Vir Clariſſimus Comes Dominicus BERTOLIVS, Canonicus Aquileienſis, eiuſdem quoque Societatis illuſtre membrum; de qua Bulla nihil modo dicam, quum in eam obſervationes ſuas quidam amicus meus, qui eas nunc parat, opportuniore in hiſce Symbolis loco proferet.

Poſtmodum iterum in lucem prodit Doctiſſimi Dominici GEORGII Diſſertatio ſingularis DE LOCATORIBVS SCENICORVM, de qua nonnulla in praevia Praefatione monui. Ex hac ipſa primum edita typis Seminarii Montisfaliicenſis, & inter Calogeriana Opuſcula Tom XIV. complura menda, quae irrepſerunt, ſuſtuli, & AVCTARIVM meum adieci: quod quidem longe uberrimum conficere poteram, ſi aliorum ſcrinia expilare, ut alii ſolent, voluiſſem: pro quo augendo multa ſuppeditare poterat *Octavii Ferrarii* perelegans *Diſſertatio de Pantomimis, & Mimis*, & Syntagmata duo, alterum *Nicolai Calliachi de Ludis Scenicis*, alterum *Ageſilai*

Mariſcotti de Perſonis, & Larvis; ſed quum in manibus omnium Eruditorum ſint eorum libri, ſatius duxi ad eos benevolos Lectores ablegare: Alia plura, quae ad rem faciebant, adnotare, nec longius evagari libuit. Adieci ad Scenicorum gregem illuſtrandum imaginem antiquam faberrime ex aere ſculptam Mimi, ſive Archimimi, ut oſtenderem quo coronarum genere ſpectati donarentur, & quibus veſtibus, & calceis uterentur. Huic ſigno aheneo alterum ſimile in toto Antiquitatis Theſauro nondum viſum ac prolatum cenſeo.

Huic *Diſſertationi*, & *Auctario* ſubiecta eſt SYLLOGE I. Epiſtolarum aliquot Clarorum Gallorum, nempe PP. Mabillonii, & Montfauconii ad Celeberrimum Antonium Mariam SALVINIVM. Syllogen dixi primam, quia in alio SYMBOLARVM Volumine hanc altera ſequetur aliorum Virorum, qui non Galliam tantum, ſed litteratum Orbem fama nominis ſui perenniter implerunt, qui perſpicue oſtendunt quantum debeant egregio Praeceptori meo SALVINIO, & quae ab eo beneficia ad Litterariae Reipublicae decus am-

amplificandum acceperunt ; quae etiam multa ad Litterariam eius temporis Historiam locupletandam nondum nota continent, praeter ea, quae ab iisdem summis Viris Mabillonio, & Montfauconio in Itinere, & Diario Italico adferuntur.

Quae omnium prima est Celeberrimi MABILLONII ad SALVINIVM Epistola, scripta est annis fere decem postquam Florentiae eo usus est familiarissime; & multa accepit officia, ac pro litteris ornandis locupletandisque beneficia, quae in suo Itinere Italico commemorat pag. 166. Librum, quem dono accepit a Cl. SALVINIO, omnigena eruditione refertum, fuisse arbitror Volumen primum Lectionum, quas in Apathistarum Academia recitavit, impressum primum anno MDCXCV. Quantum vero curis Salvinianis profecerit Doctissimus MONTFAVCONIVS, idem testatur in sequentibus Epistolis; nam, SALVINIO favente, & exscribente absolvit Topographiam Christianam ex Codicibus Vaticano, & Florentino; edendam accepit ingentem antiquarum Inscriptionum messem, Aesopi Fabulas una cum eius Vita ante Planudem scriptas

ex insigni Codice Bibliothecae Abbatiae Florentinae, & Xenophontis Ephesiaca cum eius versione, quorum editionem in se recepit MONTFAVCONIVS, qui etiam se SALVINIO devinctissimum testatur non semel in suo Diario Italico, quod Florentinarum Bihliothecarum latentes thesauros publico bono aperuerit, solo ingentis honoris, & gloriae praemio. Sed ei maxime se debere testatus est, quod D. Anselmum Mariam BANDVRIVM Ragusinum, quem etiam Dalmatam adpellat, Graecis litteris omnisque eruditionis peritia adeo excoluerit, ut postmodum immortali suo nomine litteratum Orbem editis doctissimis Voluminibus impleverit: quae omnia incomparabilis humanitatis beneficia praestitit etiam idem SALVINIVS, bono Litterariae Reipublicae natus, QVIRINO meo, dum & ipse in hoc Celeberrimo Coenobio inter professos Monachos degeret; auctorque fuit, ut Monachi tunc & deinceps Graecarum litterarum, & Philologiae studiis, praeter alias graviores disciplinas Philosophiae, Geometriae, Theologiae, atque Ecclesiasticae Historiae, luculenter excolerentur.

tur. Nunc primum etiam ex iisdem Montfauconianis Epiſtolis innoteſcit, SALVINIVM omnium primum de edendis Epiſtolis Colucii SALVTATI, Florentinae Reipublicae Secretarii, ſuae aetatis praeſtantiſſimi, non tantum conſilium cepiſſe, ſed revera, ut ederet in promtu habuiſſe eius Epiſtolas, quas eidem MONTFAVCONIO donavit. Paraſſe etiam conſtat Catalogum MSS. Codicum Bibliothecae Mediceo-Laurentianae, quem etiam ad eumdem MONTFAVCONIVM miſit, adiecta ſua nuncupatoria Epiſtola ad Coſmum III. Magnum Ducem Etruriae, in quo augendo, & ad umbilicum perducendo, uſus eſt ſedulis curis Franciſci Mariae DVCCII Sacerdotis Florentini, cuius cuſtodiae tunc eadem Bibliotheca demandata erat.

Poſt eam Epiſtolarum SYLLOGEN adiiciendum curavi *Specimen Adnotationum*, & *Emendationum* Cl. V. Antonii Mariae SALVINI ad Caput XVIII. Diarii Italici Celeberrimi P. D. Bernardi MONTFAVCONI. Alias plures ad oram eius Voluminis idem SALVINIVS adiecit, quas, ſi probabunt docti homines, alibi a me producentur.

Po-

Postrema huius Voluminis SYMBOLA exhibet Descriptionem MUSEI BONAMICIANI Pratensis. Hanc addere mihi iucundum fuit, ut morem gererem amico meo rarissimo, de meis studiis, & de litteris optime merito. Pantheum signum perparvum argenteum FORTUNAE adfertur aeri incisum, quod eidem Deae veluti Donarium dedicatum fuisse arbitror.

His igitur fruere eruditis deliciis, Benevole LECTOR, & Vale.



INDEX SYMBOLARVM QVAE IN HOC VOLVMINE SECVNDO CONTINENTVR.



IV.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

VIIII.

MONVMENTA ANTIQVA

Tabulis aereis incisa


ADLATA

In hoc SYMBOLARVM VOL. II.

PAN-

MONVMENTA

TABVLIS BVXEIS INCISA



DE NVMMIS ETRVSCIS
PAESTANORVM
DISSERTATIO

IOANNIS BAPTISTAE PASSERII
PISAVRENSIS
Protonotarii Apoſtolici, & Regiae Societatis
Londinenſis Membri

Ad Ampliſſimum Virum

ANTONIVM NICOLINIVM

E Marchionibus Pontis Sacci, & Caſtri Camuliani
Patricium Florentinum.

VIRO AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

ANTONIO NICOLINIO

Ex Marchionibus Pontis Sacci, & Castri Camuliani &c.

Patricio Florentino

IOANNES BAPTISTA PASSERIVS

D. D. D.



I praeter intimam, ac dulcem illam intelligendi conscientiam, qua tacite delectati, litterarias elucubrationes iucundissime persequimur,

merces alia reliqua adfulget ulla, quam ſperare utique extra ipſam litterarum voluptatem poſſimus; ea profecto habenda eſt, ut nempe ab inſigni aliquo, clariſſimoque praeſtantium Virorum Coetu, qui omni liberalium diſciplinarum gloria floreat, de ſtudiis, ac literis noſtris apud excultas quaſque nationes iudicium feratur ſatis luculentum. Hanc porro mercedem, ſive laborum meorum praemium nactus ego nuper ſum, opera, ſtudio, ac beneficio tuo, Optime, Doctiſſime, ac Nobiliſſime Nicolini; qui ſane excitatus, permotuſque cohortatione praeclariſſimi viri, ac utriuſque noſtrum amantiſſimi Antonii Franciſci Gorii Praepoſiti Baſilicae Baptiſterii Florentini, illud humaniſſime effeciſti, ut Londini in ampliſſimum illum, celeberrimumque Regiae Societatis Coetvm cooptarer: quae plane Societas quum ceterarum nobiliſſima, ac facile princeps habeatur, eam mihi dignitatem, atque ornamentum adtulit, quo nunquam ipſe maius expetere potuiſſem. Quare ſi qua forte utilitas ex meis laboribus Litterariae Reipublicae acceſſura aliquando eſt; quod

qui-

quidem, etsi maximopere cupio, video tamen nequaquam perfici posse; iam profecto arbitror fructum quammaximum satis mature esse me adsequutum. Quinimo vel ipsa etiam unius iudicii tui testificatio erat quidem satis praeclara mihi, ac valde perhonorifica; nam quum ipse optimis artibus mirifice excellas, maximaque apud omnes auctoritate, atque existimatione valeas; multum sane mihi tribuebam, quod ipse utique tantus Vir de me non mediocriter sentires. Da igitur mihi, ac pro tua humanitate concede, ut aliquod, quemadmodum par est, grati animi argumentum, sive pignus tibi sistam, ut hoc nimirum tenue opus ad Te dirigam, Tibique nuncupem: non quidem quod ex se, aut ex mole sua dignum Te sit, VIR CLARISSIME; sed quia post acceptum beneficium e manibus prodit hoc utique primum in lucem, exitque, quamquam tumultuario, ac raptim, ita postulante, imo urgente Gorio amico meo optimo, ut haec opella mea vulgaretur in hocce suarum SYMBOLARVM LITTERARIARVM Volumine; cuius genio, & eximiae in me benevolentiae omnino parendum a me

 fuit.

fuit. Ceterum, utcunque ea ſit, teſtatam certe omnibus compertamque ſingularem in Te obſervantiam meam perpetuo faciet; argumentoque erit, me longe maximam honoris amplitudinem, quam exoptare unquam poſſem, Tibi acceptam referre: meque totum, quoad vixero, perenni obſequio, tanquam Maecenati de re litteraria, de honeſtis viris, de patria, de civibus, de celeberrimis Academiis, quae tuo nomine ornari maxime geſtiunt, glorioſumque ducunt, valde eſſe devotum. Vale, VIR PRAESTANTISSIME, & emenſo erudito Itinere tuo per Europae celebriora Regna, ſoſpes atque incolumis, auctis tuae egregiae eruditionis opibus, moribuſque hominum accurate expenſis, ad tuos tandem aliquando, ut praeſens ſis, mihique propior, mea fovens ſtudia, feliciter quamprimum revertere.

Piſauri e meo Muſeo dab. XIII. Kalend. Iun. An. CIↃ. IↃ. CC. XXXVIII.

AD

AD LECTOREM

ERVDITAE VETVSTATIS CVLTOREM

ANT. FRANCISCVS GORIVS



Raeclaro more institutoque, dum nuper ostenderem eruditis Sociis Columbariis Florentinis Numismata duo perparva argentea, typis percussa, quae mihi summa cum humanitate dono dedit, misitque Vir Doctus Ioseph Baro Antoninius Neapolitanus, edito nuper Historiae Lucaniae (in qua eadem Numismata effossa sunt) priore volumine, de Litteraria Republica, deque Lucanis civibus optime meritus; quumque eadem iisdem Sociis expendenda proponerem, & magnopere mihi gratularer, quod tam rara Etruscae Nationis monumenta meis Cimeliis adcessissent: ecce statim peropportune ex Sociis Columbariis unus, Vir Nobilis, peregregia vetustatis eruditione excultus, Reginaldus Sellarius, Canonicus Cortonensis, eiusdemque inclutae Academiae Etruscae membrum, alterum & ipse Numisma argenteum eiusdem moduli, eiusdemque typi, Autumnali tempore, elapso anno MDCCXLVII. *in Cortonensi Agro inventum, in postica parte, duabus litteris Etruscis auctius, & locupletius*

 osten-

ostendit. Non pauca de hisce Numis expendenda in Annali XIII. *Societatis Columbariae adnotata sunt ad diem* XIII. *Martii huius currentis anni. Probata itaque, atque ab omnibus Sociis ea ita laudata sunt, ut delineata in Annali perciperent. Satis eorum votis faciendum, genioque indulgendum censui. Videbam enim quantum conlata inter Amicos studia, nobis, & Litterario Orbi, si communicarentur, prodessent; & quantum ex Sociorum observationibus proficere possem, ut bonas litteras iuvarem. Quum autem Societas Columbaria Florentina frequentibus suis eruditis congressibus optimarum disciplinarum, artiumque studia excitare, atque instaurare satagat, quae ad augendum patriae decus, & splendorem, ac Florentinam Historiam novis adcessionibus exornandum, maxime conducunt; de ea illud identidem dicere soleo, quod de Eloquentia in aeterna Vrbe praedicat Auctor Dialogi ad Cornelium Tacitum, qui Fabio Quinctiliano tribuitur*: Non aliud in Civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius, vel ad dignitatem amplius, vel ad Vrbis famam pulcrius, vel ad totius Imperii, atque omnium gentium notitiam illustrius, excogitari potuit; *hoc laudabili instituto in libris describendis, adnotandisque omnibus priscae Eruditionis monumentis, quae contemplanda, atque observanda ab Illustribus Sociis certatim frequentibus curis*, MVTVISQVE OFFICIIS *offeruntur*.

Absentium quoque Sociorum, & exterorum Amicorum iudicium in hisce Numis illustrandis, explicandisque, ut obtinerem; statim curari, ut non solum diligentissime delinearentur; verum etiam aereae Tabulae, quam heic proxime propono, inciderentur. Numismata duo, quae sculpta in eadem Tabula num. I. & II. *adferuntur, mea sunt; tertium*

vero

vero idem Cl. Sellarius in Museum Academiae Etruscae Cortonensis, aeterno munere, ut servaretur, lubentissime intulit, eique dono dedit. Hoc absoluto opere, primum impressum Schema horum Numismatum proposui Amico meo optimo, Viro Doctissimo ac Celeberrimo IOANNI BAPTISTAE PASSERIO, *utriusque Academiae Etruscae Cortonensis, & Columbariae Florentinae Socio eximio, ut quid de his sentiret, actutum per epistolam exponeret. Intra perpaucos dies respondit Cl.* PASSERIVS *ea ipsa Numismata insignis raritatis, sibi esse valde nota; nam alterum adsimile ex Museo Planco depromptum, utque in aerea lamella incisum (quod infra ad eius exemplum expressum exhibetur) brevibus suis animadversionibus iam illustraverat, quas ad Cl. Plancum miserat. De hoc ipso Plancano Numismate multa scripta sunt, quae adnotata leguntur in Novis Litterariis Florentinis anni, ni fallor,* MDCCXLVI. *in quibus, repugnante eodem Passerio, ad Pistorienses pertinere multis coniecturis ostensum est. Igitur idem Vir mihi amicissimus Passerius confestim hanc ipsam Dissertationem ad me mittit, multa exquisitae ac reconditae eruditionis fruge cumulatam; qua perspicue ostendit eadem Numismata Etrusca ad* PAESTANOS *pertinere: quo quidem munere nil mihi gratius, iucundius nihil adcidere potuit: praesertim postquam* HERCVLANENSIVM *Antiquitates illustravi; dumque interim e Neapolitano Regno alias doctae Vetustatis opes in lucem proferre mihi feliciter contingit, quas nemo hactenus editas conspexit. Ei quoque, & mihi gratulatus sum maxime, quia Viro Nobilissimo ac Celeberrimo Litterarum, & doctorum Hominum fautori, & aestimatori eximio Marchioni* NICOLINIO *consecravit Dissertationem hanc singularem; qua res adhuc in-*

cogni-

cognitae in Re Monetaria veterum Etruſcorum nunc primum aperiuntur, atque e tenebris vetuſtatis eruuntur. Illud nunc ſupereſt, ut Lectores moneam, PASSERIVM *Virum probiſsimum, & humaniſsimum plus in meis ſtudiis laudandis indulgere amori ſuo, quam iudicio acerrimo. Tanti igitur Viri laboribus, aliiſque a me quamprimum edendis, eius nempe eruditiſſimis Obſervationibus in* GEMMAS ANTIQVAS ASTRIFERAS, *quas collegi, atque aereis Tabulis peraccurate incidendas curavi, fruere,* LECTOR BENEVOLE, *& me Genio Clementiſſimo Auguſtiſſimi Caeſaris Domini Noſtri* FRANCISCI I. *Romanorum Imperatoris, Patris Patriae, Pii, Felicis, Auguſti, cui maxime Litterarum inſtauratio, decus, & gloria cordi eſt, multiſque praemiis hac de cauſa adlicit & ornat Litteratos Viros cum Piſani, tum Florentini Lycei, remis veliſque obſecundantem, patriae tantum gloriae, & Litterarum utilitatis flagrantiſsimum exiſtima; & ſi muneri munus addere non recuſas, perhumaniter dilige, ac tuere.*



DIS-

DISSERTATIONIS

DE NVMMIS ETRVSCIS PAESTANORVM

ARGVMENTA.

I.

L*Audatur Cl. Gorius ob difficiles, maximisque sumptibus comparatas veterum Monumentorum Collectiones, ab eo feliciter publico Studiosorum bono adornatas, & in lucem depromtas; praesertim vero ob studium Monetariae Rei Etruscae illustrandae, cuius Specimen explicandum peramice mecum communicavit.*

II.

Nummi, quorum typi nunc primum exhibentur, cum altero Musei Cl. Iani Planci conferuntur: Pistoriensibus non convenire probatur, & Paestanis *tribuuntur.*

III.

Expenduntur eorumdem Numismatum Inscriptiones, quarum discrimen conciliatur; atque in illis non obscure Paesti *nomen deprehenditur: multa itidem de prisca ratione, & origine inscribendorum Nummorum adtinguntur, & derivatio nominis perscrutatur.*

IIII.

Insignia eorundem Nummorum explicantur, & PAESTANAE *urbi convenire ostenduntur; multaque de primitivo eius Vrbis nomine proferuntur.*

V.

Describitur ex veterum Scriptorum testimonio eiusdem Vrbis origo, & in illam deductae Coloniae recensentur; ex quibus triplex eiusdem Vrbis status, & lingua eruitur sub Graecis, Tuscis, & Latinis, & Nummorum testimonio confirmatur.

VI.

Notae in hisce Nummis expressae, sive emblemaat ἐπιχώρια *declarantur.*

VII.

Numus argenteus n. I. *in eadem Tabula expressus, ad* PAESTANOS *pertinere ostenditur, adlato exemplo alterius Numi* PAESTANORVM *edito apud Cl. Augustinium, quem latuit ad eosdem* PAESTANOS *pertinere: cuius in antica, & postica parte notae, & emblemata elucidantur.*



IO. BAPTISTAE PASSERII

PISAVRENSIS

Protonot. Apost. & Reg. Societatis Londinensis Membri

DE NVMMIS ETRVSCIS PAESTANORVM

DISSERTATIO.



I.


DOlebam aliquando, NICOLINE MARCHIO DOCTISSIME, bonarum artium ſtudia apud potentiores Viros nullo iam in honore eſſe; illorumque maieſtatem penitus iam popularibus hominibus commiſſam, quorum domeſtica anguſtia magnitudini rerum non reſponderet. At Dei Optimi Maximi nutu factum eſt, ut privatorum Virorum ingenium eo extol-

extolleretur, ut intentata olim Magnatibus literaria molimina, ad eam gloriam perducerent, quae Reges ipſos quandoque deterruiſſet; quod praecipue in GORIO Viro laudatiſſimo, mihique benevolentia coniunctiſſimo, factum eſſe gaudeo: quum ſumptuoſiſſimis Operibus, quae in lucem protulit, maiora ſemper addat, & maxima moliatur. Si qua vero Natio omnium maxime ei devincta, ea profecto eſt ETRVRIA noſtra, cui inſperatam lucem toto iam orbe propagatam, atque in aeternum victuram ipſe contulit. Nulla enim eius Antiquitatis pars eſt, cui lumen pari doctrina cum induſtria non addiderit; ut in praeſentiarum non exſultem modo, ſed & ſtupeam eum obſcuriſſimam atque difficillimam illius partem, nempe *Nummariam Etruſcam* declarandam attigiſſe. Quod enim ſpectat ad huius ſcientiae difficultatem, rariſſima adhuc ſunt Etruſcorum Numiſmata, quae quum a ſingulis Populis cuderentur, multiplicia quidem erant; ſed non adeo copioſa, ut ſeriem integram ex illis aliquando colligendam fore ſperaremus. Rurſus vero, quo antiquiora, eo profundius conſepulta, vel hominum iniuria deſtructa, praeſertim argentea, quorum pretium illis fatale fuit, ut facilius conflarentur. Sed iam haec detrimenta ipſa fortuna compenſat, ut quae iam veluti interierant, GORIVM noſtrum, Virum Celeberrimum, undequaque conveniant, & veluti opem ab eo poſtulent, ut in ſaeculi lucem, eo auſpice, proferantur. Placuit totum Diſſertationis de NVMMIS ETRVSCIS PAESTANORVM argumentum hiſce Programmatis ordinatim diſponere, quae iam ſupra propoſita ſunt.

II.

II.

Felici huic fato debet Clariſſimus GORIVS denarios duos (nam ita a mole nominaverim) quos recens in Lucanis effoſſos , & Etruſca epigraphe ſignatos, in penetrali ſuo, & ut verius dicam , Muſarum ſacrario condidit: quos quum mihi contemplandos obiecerit, meamque de illis ſententiam poſtulaverit (quae eius modeſtia eſt) coniectationes quaſcumque meas de illis proferre non dubitavero; praeſertim vero cui nam Tuſcarum Vrbium adcenſendi videantur. At nummos eiuſdem formae dudum cognoveram ex alio fere ſimili, quem in interiore Etruria effoſſum Ianus Plancus Ariminenſis, Vir omni litterarum genere ornatiſſimus, nuper excepit, & mecum communicavit. En eius ſchema uti ab eo editum eſt.



Huius igitur nummi typum ad me tranſmiſſum, quem ille quidem *Piſtorienſibus* tribuebat , ſedulo meditatus , PAESTANIS potius referendum iudicavi : quod firmius credendum cenſui , ubi geminos nummos GORIANOS, in quibus eadem inſcriptio recur-

currit, ad examen revocavi. Nam quod attinet ad *Pistorienses*, ipsum nomen novitiam redolet significationem: sive illud, ut aliqui putant, *a peste* post Catilinae caedem exorta, sive a *Pistoribus*, ut communius censent, deducamus: cui posteriori opinioni favet Antonini Itinerarium, & vetusti a GORIO editi lapides, qui Urbem illam nuncupant, AD PISTORES. Hinc communiter reputatur, id nomen a Latinis inditum, quum lingua Etrusca iam esse desiisset. Urgebat praeterea argenteum nummum, nondum effossum, qui interioris Etruriae nomen praeseferret; quum quotquot hactenus huiusmodi eruperunt, ad Samnium, atque Campaniam, finitimosque Populos omnino pertineant. Habuerit ne montana Etruria argentum cusum, nec affirmare ausim, nec impugnare. Unum id tantum certum est, quod Plinio debemus Lib. XXXIII. Cap. III. Romanos omnium potentissimos non ante annum Urbis DLXXX. quinque annis ante primum bellum Punicum, argentum signare incoepisse. Non equidem hanc gloriam, sive calamitatem Etruriae invidemus; at habuisse nondum idoneo testimonio probatum est: quod constanti observatione statutum a me est in libello de *Nummis Tudertium* Cap. IX. At Campani non ante primi Belli Punici aetatem nummos cuiusvis metalli inscribere consueverunt; quum ante hac illiterati signarentur: quapropter huiuscemodi denarii nihilo maiorem sibi vindicant antiquitatem, nisi forte etiam posteriorem. Postrema ratio mihi omnium urgentissima visa est, ipsa symbolorum natura, quae ad maritimam Vrbem clamant, delphin, & acrostolium, insuper & pingue granum illud, quod ad loci fertilitatem denotandam a Siculis, & Campanis saepissime in num-

mis

mis usurpatum videmus. Haec vero navalia symbola duplici quidem ac potissima ratione Paestanis conveniebant; quarum prima descendit ab ipso Neptuni cultu, a quo incolae Posidoniates, ut mox declarabimus, dicti erant: altera vero quod haec civitas in ipso littore condita esset, ubi adhuc eius rudera observantur, atque oppidum dictum *Pesti*, & *Tor di Pesti*; ibique ab antiquis Geographis reponitur, Pomponio Mela, Ptolemaeo, atque Plinio auctoribus: qui inde denominatum dicunt sinum Posidoniatem, exinde Paestanum nuncupatum.

III.

Quod vero PAESTANIS hosce nummos tribuerimus, primario persuasit eorum inscriptio, quam iterum hic exhibemus:

In nummo Iani Planci: ƧΙVV ΑƧΙ8

In nummo Gorii utrimque scripto: { ΦΙƧΤΕΙ IL / V ˥ T Ƨ I 8 }

In nummo Acad. Cortonensis: ƧΙVVTƧΙ8

Nec prima facie est, cur ab ipsa deformitate dialecti, & varietate inscriptionis deterreamur. Si enim Tuscorum inscriptos nummos simul conferamus, haec & plura sphalmata Artificum Monetariorum deprehendemus: sive ea tunc fuit inconstantia Etruscae Linguae nec satis politae, nec admodum cultae, quae praecipue hostium, & colonorum novitate in ea regione vexata, nunquam sibi certo constaret; quem profecto errorem in Tuscorum

inſcriptionibus adeo frequenter animadvertimus, ut niſi maximo uſu illas familiares nobis feciſsemus, non intelligere modo, ſed nec pronunciare linguam Tuſcam valeremus; ut in Theſauro Linguae Etruſcae, qui ſtudio, & opera Gorii Clariſſimi, brevi in lucem prodibit, quem lucubrationes aliquot noſtrae ſubſequentur, & peculiari Tractatione *de Tuſcorum Cacographia* demonſtratum iri confidimus. Vtcumque ſe res habeat, PHISTVM, ſeu PISTVM, pro Latinorum PAESTO, Etruſca dialecto in IS, ſeu in IL deſinente, in utraque epigraphe deprehendo, immo in Goriana PHISTELIL. Nomina vero Vrbium diverſa ratione in nummis ſcribebantur; nam aliquando primitiva, ſeu, ut Grammatici vocant, *radicalia*, ſignabantur in nummis, ut ecce: ROMA. VALENTIA. CAPUA. ATINA. quae aliquando a recto in ſecundum caſum deflectebantur, ut RAVENNAE. SIRMII: vel in ſexto caſu, quemadmodum CARTHAGINE, CONSTANTINOPOLI, prout nominum natura poſtulabat; quibus ſubintelligenda venit nota illa MONETA SIGNATA. Sed aliquando pro nomine Vrbis primitivo, *derivativum*, quod etiam dicunt *gentile*, appoſitum eſt; propieque non Vrbem, ſed Populum exprimit, ſemper multitudinis numero expreſſum: aliquando in recto, ut IKVVINI. SALENTINI: ſaepe etiam in obliquo, ut ARIMINENSIVM. PISAVRENSIVM. ut earumdem Vrbium Graeca numiſmata apud Goltzium evincunt.

Iuvat nunc nomen id noſtrum ad trutinam revocare, uti quantum in re obſcuriſſima datum eſt, cognoſcamus utri exemplo conveniat. Et quidem in exemplari Plancano litteram ᛌ pro T irrepſiſſe puto, ſeu potius prae antiquitate fuiſſe corruptam:

ſi

ſi enim litteram ᐊ claudamus, facile nobis reddet Θ. Littera vero V facile confunditur cum Tuſcorum ᒍ, quae reſpondet L Latinorum. Exempla faciliſſimi huius erroris exuberant in Tuſcorum epitaphiis; ſed ne a Nummaria recedamus, unum prae ceteris exemplum ſeligemus ex nummis Samniticis a Cl. Oliverio meo illuſtratis, qui primus omnium in hac re facem praetulit; nam idem cognomen MVTILI in aliquibus, & VITVM; in aliis vero ſcriptum ᒍITVM. Facile enim erat in reſiſtente materia ſtilum aliquando plus debito excurrere, ut, vel invita manu, lineola plus debito protraheretur. En igitur in epigraphe PHISALVIS, ipſum PHISTLVIS, ſeu PHISTELIL, quem in aliis duobus nummis expreſſum legimus; in quibus omnibus *Paeſti* Latinum nomen ſeu deformatum, ſeu potius, ut Etruſci pronunciabant, expreſsum cernimus; nam Antiqui litteram I lubentius proferebant; cui recentiores ad ampliorem pronunciationem E ſubſtituerunt; quod probant exempla antiquiſſimorum monumentorum, ut MIRQVRIOS. ALIXENTROM. pro MERCVRIOS. ALEXANDROS in patera apud Cauſeum, & in quibuſdam inſcriptionibus Luci ſacri Piſaurenſium, DIANII. & TIIDRO. pro DIANAE. & DEDERVNT. quam conſuetudinem latius monſtrabimus in Tractatu noſtro *de Tranſmutatione litterarum Etruſcarum*. Etiam initialis PH facilius abiit in P, abiecta adſpiratione, quod Aeoliis familiare fuit, ut oſtendit Voſſius in libello de tranſmutatione litterarum.

Sed ne videamur ſententiam noſtram veterum erroribus ſuffulcire, coniecturam omnium probabiliorem afferemus, nomen Vrbis primo non fuiſſe *Paeſtum*, ſed *Phaeſtum*, ab aliqua Graecorum Colonia, quae Vrbem alioqui inſalubrem, ſeu bel-

lo vastatam frequentaverit. Fuere siquidem plures in Graecia Vrbes hoc nomine nuncupatae; una in Macedonia, quam Ptolemaeus Lib. III. Cap. 13. Estiotis Thessalis primam adsignat: quae Vrbs forte eadem est cum Phaesto, quam Livius Lib. XXXVI. Cap. XIII. a Baebio captam tradit. Altera huius nominis in Locrensibus fuit, cuius mentio fit apud Plinium Lib. IV. Cap. 3. alia demum in Creta, quam recenset idem Plinius eiusdem libri Cap. 12. Hanc Diodorus Siculus a Minoë conditam tradit ad littus maris; quam idem Plinius, & Strabo Lib. X. & Dionysius Periegetes in Mediterraneis locant:

Iuxta sacram Gortynem, & mediterraneam Phaestum.

Eius vero conditorem fuisse Phaestum, Ropali filium, & Herculis nepotem, tradit Stephanus in ΦΑΙΣΤΟΣ, quem Pausanias in Corinthiacis Cap. VI. *ex Oraculi responso in Cretam migrasse*, scribit. Ex horum sobole aliquos prodiisse, qui Phaestum Italicam condiderunt, & patrio nomine, ut moris erat, nuncuparunt, suspicari quis potest, praesertim vero ex Phaesto Cretensium: multas enim illorum Colonias in eam Italiae oram, praesertim vero in Campaniam, deductas fuisse demonstrabimus in Diatriba de *Nominibus Vrbium, & locorum Italicorum*. Forte haec etiam Vrbs nostra PHAESTVS, seu PHAESTVM, ita a cultu Apollinis dicta est, cum *Phaestum Apollinem* memoret nobis Plinius eodem Cap. III. Lib. IV. quod eo probabilius mihi videbatur, quod in triplici numinorum inscriptione multas quidem advertimus diversitates; sed in hac initiali omnes conveniunt. Nostrum vero PHISTLVIS idem est, ac si diceremus PHAESTIVS; nam Antiqui post S libenter interponebant litteram L, ut exempli gratia *stlatum*, & *stlites*; pro *latum*, &

& *lites* dicebant : quod etiam multiplicibus exemplis probabimus in noſtro *Gloſſario primaevae Latinitatis*. PHISTELIL vero mihi obliquum eiuſdem nominis ſonat, ſed decurtatum, ac ſi dixerimus PHISTELIORVM, quod *Phaeſtiorum* rectius dixiſſent Latini; nam a PHAESTO, ſit PHAESTIVS, ut monet Stephanus loco citato: ſed radicales tantum nobis noviſſe ſufficiat; nam inflexiones Etruſcae Linguae, praeſertim vero Campanae dialecti, quorum inſcriptiones rariſſimae ſunt, ob temporis brevitatem, quo haec lingua apud ipſos obtinuit, non ignoramus modo; ſed aſſequi aliquando nos poſſe omnino deſperamus. Hanc vero dialecti diverſitatem inconſtantiae Populi, ut infra dicemus, imputamus.

IV.

Quae hucuſque diximus, pertinent ad explanationem nominis, quod nummis hiſce inſcriptum eſt. Nunc utriuſque lateris inſignia percurramus. Iuvenile caput criſpis capillis ornatum, Hercem aliquem antiquum, gentis auctorem, ſeu reſtitutorem Vrbis ſignificat, ſeu Numen Vrbis peculiare, ſive *Phaeſtium Apollinem*, ſive *Phaeſtum* Herculis nepotem; ſed haec inquirenda potius, quam credenda proponimus Eruditis: quum Religiones municipales, & locorum Hiſtoriae nobis omnino deliteſcant. Averſae partis ſymbola acroſtolium, & delphin maritimae Vrbis indicia ſunt, & Neptuno ſacra noſcuntur: quae ut luculentius explicemus, indagare nunc oportet quale nam fuerit antiquum Vrbis nomen, a quo multum populi Religio pendet. Primitivum vero huius Vrbis nomen *Poſidoniam* fuiſſe, oſtendit Plinius Lib. III. Cap. 5. *Paeſtum Graecis Poſi-*

donia appellatum : & Gellius Lib. xiv. Cap. 6. *quod Paeſton* ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΙΟΝ *dicta ſit*: quod etiam confirmat Servius in Georgic. iv. verſ. 119. *Paeſtum, civitas Lucaniae. Haec civitas Poſidonia dicitur*. Idem nobis affirmat Strabo infra citandus: quapropter ſatis credibile eſt populum hunc a Neptuno, qui Graecis ΠΟΣΕΙΔΩΝ eſt, cum ipſo nomine religionem, & ſymbola mutuaſſe. Dubium reſtat utrum nomen fuerit antiquius. Ego quidem pro hoc poſtremo ſuffragium ferrem, innixus auctoritati eiuſdem Strabonis Geograph. Lib. v. in fine: *Picentinos quidem Romani Poſidoniatem in ſinum Colonos traduxere. Hoc vero tempore ſinus ipſe Paeſtanus nuncupatur. Verum Vrbs ipſa Poſidonia, Paeſtus vocatur, medio in ſinu locata*. Quae verba clare evincunt Vrbem illam, quae prius *Poſidonia* cum ſinu vocata erat, *Paeſti* nomen accepiſſe. Id vero nomen poſtremo ei ſtetiſſe, manifeſtum fit omnium Scriptorum teſtimonio, qui Paeſtum ob roſas celebrant. Virgil. Georg. iv. verſ. 119.

—— *canerem, biferique roſaria Paeſti*:

& Ovidius de Ponto Lib. II. Eleg. iv. verſ. 28.

Calthaque Paeſtanas vincet odore roſas.

& Propertius Lib. iv. Eleg. V. verſ. 59.

Vidi ego odorati victura roſaria Paeſti.

Hoc etiam nomine audit apud Geographos. Pomponius Mela Lib. II. Cap. 2. *Paeſtanus ſinus, Paeſtum oppidum, Silarus amnis, omnia Lucaniae loca*: & Ptolemaeus Lib. III. Cap. I. *Lucanorum ſimiliter*

iuxta

iuxta Tyrrhenum pelagus, Silari fluvii ostia, Paestum, Velia: quibus testimoniis inducimur, ut credamus *Posidoniam* antiquum nomen, ut *Paestum* recentius ferunt, fuisse. Neque illis adsentior, qui utrumque contemporaneum fuisse putant, primum a Graecis, quia Graecum; secundum ab Italis usurpatum; hallucinati fortasse auctoritate Plinii loco citato dicentis: *Paestum Graecis Posidonia appellatum*; nam ea verba intelligenda sunt, ut apud Graecos vetus nomen manserit; apud Italos vero unum alteri successerit: quod manifeste probatur testimonio nummorum apud Goltzium, in quibus, quum adhuc tota Campania, & Lucania Graeco idiomate uteretur, primigenium nomen lingua, & litteris Graecis aliquando inverso ordine procedentibus, ita inscriptum cernitur:

IƎƧOΠ

ΔIƎMOΠ

ΠOMEI

ubi praecipue notanda est littera M, quae pro Σ posita est: quod etiam notatur in aliis monumentis, praecipue vero in praecitata patera apud Causeum, in qua legitur:

ƧOIꟼV9ꟼIM

MOqTИƎXIJA

pro

ƧOqTИƎXIJA

In nummo etiam apud Cl. Arrigonium Tom. I. legitur ΠΑΙΣ. In ceteris vero posterioribus, qui magis de proximo ad Romanorum mores accedunt, de quibus infra dicendum est, non amplius haec Civitas hoc nomine inscribitur, sed *Paestus*, hoc est PAISTANO. Cupiendum tamen esset, ut qua aetate haec mutatio sequuta sit, innotesceret; sed haec quodammodo ab aetate nummorum indagari potest, ad quam assequendam, unice conferre poterunt ea quae ad propositum diximus in Dissertatione de *Nummis Tudertium*. Quum igitur ex praemissis liquido constet primitivum nomen Vrbi a Neptuno inditum; facile assequemur acrostolium, atque delphinum in nostris hisce nummis signatum aptissime huic Vrbi convenire. Quod ut diligentius explicaremus, alios etiam eiusdem Vrbis indubitatos nummos observavimus in Musei Arrigonii Tomo I. & apud Cl. Maffeium Observat. Litter. Tom. v. pag. 379. quibus nomen PAISTANO subscriptum legitur: in quorum antica parte caput Neptuni, adiecto delphino, expressum est; in postica vero eius filius Taras, alteri delphino insidens cum tridente, qualis propemodum in Tarentinorum nummis exprimitur apud Goltzium: de quibus locuti sumus in Notis ad Lucernas Tom. I. num. 42. Granum vero tritici ad regionis fertilitatem pertinet: cui manifeste alludit alter eiusdem Vrbis nummus apud eundem Arrigonium, in cuius postica copiae cornu expressum cernitur.

Expendimus iam, Vir Clarissime, utriusque nominis originem, & antiquitatem; sed quia frequenter contigit, ut quum nomina mutarentur, significatio tamen maneret, ut saepe observavi in Tractatu de *Nominibus Vrbium*; inquiri nunc posset, an nomen *Paesti* analogiam ullam servet cum *Possido-*

ſidone, ſeu *Neptuno*. Ego quidem nullam obviam invenio, ut indubitanter credam ab aliqua Phaeſtiorum Colonia noviter inditum; quod etiam ſub Tuſcis manſit; quum praeterea Neptuni Tuſcum nomen adhuc nobis non innotuerit. Si tamen placeat ad ingenium excitandum, ut aliquod Neptuni attributum in nomine *Paeſti*, ſeu *Phaeſti* conemur indagare, difficile nimis non foret; ipſe enim ΕΝΟΣΙΚΘΩΝ, & ΕΝΝΟΣΙΓΑΙΟΣ, quaſi *terram concutiens* dictus eſt, quod terram fluctibus quatiat. At eadem fere ratione *Paeſtus*, a ΠΑΙΩ, *percutio* dici poterat.

V.

Ad noſtrorum monumentorum illuſtrationem non parum contulerit aliqua praenotaſſe de huiuſce Vrbis origine. Hanc ita refert Strabo circa finem eiuſdem Lib. v. *Porro Sibaritae ad mare* (Paeſtum) *Vrbem poſuere, quippe qui ante ſe habitantes alios eiecerunt, quos viciſſim poſteriori tempore Lucani. &c.* Solinus Cap. viii. Polyhiſtor. *Paeſtum a Dorenſibus* conditum tradit. Plinius contra Lib. iiI. Cap. 5. *Lucanos a Samnitibus ortos, duce Lucio*, refert: inter quorum oppida memorat *Paeſtum, Graecis Poſidonia appellatum*. Servius vero in citatum locum Georgic. hanc gloriam Tarentinis attribuit: *Paeſtum Civitas Lucaniae. Haec Civitas Poſidonia dicitur, & eſt in agro Salentino Colonia Tarentinorum*. Cui ſententiae favet nummorum ſimilitudo, quum in utriſque idem Tarantis typus occurrat. Haec tamen Scriptorum ambiguitas clare demonſtrat Vrbem illam ſaepe Cives immutaſſe: quod praecipue & bellorum incurſionibus tribuendum eſt, atque aëris inſalubritati, quae diuturnos habitatores

res non pateretur: quod constat ex eodem Strabone ita de Vrbe Paesto loquente: *Insalubre facit amnis diffusus in paludes, vicinus oppido*: ut inter loca mortifera Paestum numeraverit Martialis Lib. iv. Epigr. lx. etsi Cluverius probet *Castanaque*:

Ardea solstitio, Paestanaque rura petantur,
Quique Cleonaeo sidere fervet ager.
Nullo fata loco possis excludere; quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Demum haec Civitas Romanis concessit. Idem Strabo: *Lucanis inde Romani oppidum intercepere, coloniamque in illam deduxerunt*: Paterculus Lib. I. Cap. 14. *Cossam, & Paestum abhinc annos ferme* ccc. (deductas Colonias) *Fabio Dorsone, & Claudio Canina Consulibus* ait. Id etiam plane indicatur apud Livium Lib. xxvii. ubi inter Colonias a Romanis deductas, Paestum quoque commemorat, subdens: *Harum Coloniarum subsidio tum Imperium Populi Romani stetit, iisque gratiae & in Senatu, & apud Populum actae.*

Eorumdem vero Scriptorum auctoritate certiores sumus ternam praecipue fortunam expertos esse Paestanos; nam primo Graeci, a quibus originem ducunt (sive interim Dorienses fuerint, seu Sibaritae, seu denique Tarentini) eam urbem tenuere: dein paruere Italis; nam Lucanos priores incolas eiecisse Italos tradit Strabo: Lucanos vero a Samnitibus ortos, Plinii auctoritate indicavimus: demum in Romanorum ditionem devenerunt. Hos vero triplici aetate, triplicem quoque characterum formam adhibuisse, quam in eorum nummis expressam observamus, iam nullus dubito; nam primum characteres Graecos in usu habuerunt; deinde Tuscos, qui plerumque & Samnio, & Campaniae commu-

munes fuere, ut in Roncalienſibus demonſtravimus: quod praecipue evidens ſit ex ipſis Tuſcorum Coloniis per ea loca diffuſis, inter quas *Marcinum Tuſcorum aedificium*, Paeſto conterminum, numerat idem Strabo. Tuſci vero characteres diu manſerunt hiſce Vrbibus etiam ex quo in Romanorum ditionem conceſserunt: quod evidenter probant Tudertium nummi Etruſce inſcripti, quum iam Romani iuris eſſent; quorum etiam aetatem ad ammuſſim conquiſitam indagare conatus ſum in praecitata Diſſertatione. Demum victrici Populo ita ſe conformarunt, ut etiam haec poſtrema priſtinae dignitatis veſtigia adderent nummis ſuis Latine ſignatis cum inſcriptione ΠAISTANO: quod pariter ceterae Campaniae Vrbes admiſerunt, in quibus ſubſcriptum legimus: THEANO. CALENO. AQVINO. SVESSANO. AISERNINO: quorum gratiam aucupantes ipſi quoque Romani, quodam veluti pacto foedere, Campanam dialectum imitati ſunt, & in ſuis nummis inſcripſerunt ROMANO: cuius inflexionis grammaticam rationem, atque ſignificationem apud Latinos antiquatam, & iam diu obſoletam, in eadem mea *de Nummis Tudertium* Tractatione ad examen revocavi.

VI.

Quod unum expendendum ſupereſt, eſt globulus ille in horumce nummorum averſa parte conſtanter ſignatus. Ad notas monetales, ſi quid recte ſentio, referendus ille eſt. In nummis quidem aereis unciam denotat; quod communi Italicarum Vrbium conſuetudine exceptum erat, nec niſi unitatem denotabat: multiplicatus vero totidem deſignabat unitates, ſeu uncias in eodem nummo

con-

contentas. Id etiam oſtendit Herculanenſium aereus nummus nuper in Gorianis Vindiciis Alphabeti Etruſci pag. 166. & in priore harum Symbolarum Volumine pag. 11. productus. In nummis vero argenteis unitatem denarii ſignificavit, quod Romani per X aut ⳩ exprimere conſueverunt. In nummis Samniticis aliquando idem aſteriſmus eamdem vicem ſupplet: ſaepe etiam littera ᗅ, per quam facile *Argenteum* pro *Denario* nuncupabant. Demum aliquando in his nota IIII. deprehenditur, per quam totidem ſextertios, communiorem fortaſſe illorum nummorum ſpeciem, ex quibus denarius coaleſcebat, denotare voluerunt, quorum icones expreſſos videre eſt in duplici Diſsertatione eiuſdem Cl. Oliverii Piſauri typis demandata.

Verum, quia haec Cl. Gorius de globulo illo a me propoſita non omnino probat, ea & ipſe non probo; quare videndum ſi potius referre credamus clavi caput, quo acroſtolium illud prorae navis adfigi ſolebat. Quod attinet ad medianum alterum ſymbolum, quis vetat lanceae cuſpidem nuncupare? nam & in aſsibus Romanis fuſis ſaepe ſaepius occurrit, ut videre etiam eſt in nummis adferendis in Muſei Etruſci iam a doctis Viris optata continuatione. Forma utrique communis eſt: nec litem dirimeret, niſi ſola moles, quae nos latet. Quid ni? forte etiam remum ſignificare poſſet; quum praeſertim cetera ornamenta ad artem nauticam ſpectent; nam & in altero quadrante fuſo apud me aſſervato, duplicia eiuſdem formae inſtrumenta obſervantur, quae proceriore haſta inſtructa ſunt. Sed reiectis aliis omnibus coniectationibus iam expoſitis, magis probo, quod expendendum proponebam, nempe globulum illum referre caput clavi. Reiecto igitur altero ſymbolo, de quo ſupra dicebam, nempe globulo

bulo illo numerali; valde probabile cenſeo illud referre clavi caput; nam oportuit haec acroſtolia ingenti aliquo, ac inſigni clavo transfixa fuiſſe; quum haec navium praecipua ornamenta omnino mobilia eſſent, ut facile refigi poſſent, vel quum naves ſub tecto hibernarent, vel quaſſatae denudarentur, ut facilius in navalibus fulcirentur. Conſtat vero inſititia fuiſſe acroſtolia ex his quae Diodorus Siculus Lib. xx. narrat de navibus Rhodiis incenſis: *Rhodii celeriter acroſtolia detraxerunt, iniectiſque malleolis, & taeda in naves, eas ipſas concremaverunt*. Narrat etiam Appianus in Mithridate inter ſpolia ex captivis navibus detracta, computata fuiſſe navium acroſtolia, quae ab illis revulſa inter tropaea cenſebantur. Conſtat etiam ex Xenophonte, & Diodoro Siculo ſupraſcripto in loco, haec acroſtolia avulſa ab hoſtium navibus inſeri victricibus ad oſtentationem virtutis conſueviſſe; quod clare ſupponit, facile tolli, atque avelli ſolita, ut cetera navium ornamenta, clavoque obfirmari, ut firmius haererent.

Interim, rogante Gorio Amico meo optimo, ut accurate alterum medianum ſymbolum expenderem, & de roſis Paeſtanis nonnulla ut inveſtigarem monente, haec ſubicienda cenſui. Profecto ambiguum eſt hoc parergon inter delphinum, & acroſtolium, de quibus nullum oriri dubium poteſt: nam ex ipſa forma tum haſtae, tum nautico remo adſimilari ex coniecturis facile poteſt: quis enim ex minutis hiſce & rudibus ſignis veritatem indubiam deprehendet? Potius vero roſae bulbulnm, ac pupulum imitari dixerim: nam forma omnibus communis eſt; nec immerito hoc ornamentum in nummis Paeſtanorum indagamus, quum ex his, quae praemiſimus, Paeſtanae roſae celebres haberentur; ideo-

que

que tamquam praecipuum naturae donum, atque eius loci praecipuum decus potuit inter cetera Vrbis insignia connumerari huiusmodi rosa, & in nummis exprimi. Quis enim in re Nummaria tam peregrinus est, qui nesciat consuevisse Veteres in iisdem nummis signare una simul plura & diversa symbola, inter quae nulla intercedebat cognatio: atque ea potissimum, quae locorum dignitatem, praestantiam, indolem in rebus gignendis producendisque summo cum honore declarabant? Quia tamen vel Vrbi communia erant, vel ad diversos pecuniae Praesides spectabant, una simul copulabantur; praecipue quum pondus monetae mutari, ac sensim minui soleret; tunc enim novis nummis nova etiam indicia addebantur: quod a nobis exemplis, & ratione probatum est in memorata Tractatione *De Nummis Tudertium*.

Haec dum animo volverem, in mentem venit, accepisse me aliquando aereum nummulum, unciam unam aequantem, Etrusci artificii, mihi dono datum ab amico optimo Andrea Ioannellio, Sanctae Tudertinae Ecclesiae Presbytero, Viro Ornatissimo, in quo idem rosae pupulus, sive calix ac bulbus cum rana in aversa parte, huiusmodi typo, quem subiicio, expressus est.



Con-

Confeſtim nummum ad manum revoco, & non ſine laetitia ac voluptate invenio Tuſcam litteram 1 in eo expreſſam. Pertinueritne ad Peruſinos, quorum tamen Tuſcum nomen ignoramus, an ad Paeſtanos, aut ad alios populos, quorum nomen ea littera initiali conſtaret, dicere non auſim; quia vero a coniectura hac noſtra de roſae pupulo in nummis Paeſtanis non longe recedit, heic depromendum & hunc nummum curavimus, rati nos rem gratam Eruditis exhibituros, quum non dum vulgatus ſit.

VII.

Vix Opellam hanc e manibus dimiſeram, quum alterius Nummi argentei, ſed illitterati, cui primus locus in edita Tabula Goriana datus, imaginem contemplandam mihi idem Gorius Praeclariſsimus obtulit, rogans, ut de illo iudicium meum proferrem; nam ſingularis adhuc eſt, & penitus inperſpectus. Pars antica iuvenile caput obiicit, paſſis undequaque, & volitantibus capillis, ac veluti vento, ſeu concito curſu exagitatis, horreſcens. In poſtica ruditer expreſsum animal eſt, anticis pedibus ſublatis currens, cuius ſpeciem ex obiecta icone haud aſſequor. Hunc vero dum ſedulo meditor, forte fortuna mihi occurrit alter nummus apud Auguſtinium de Re Nummaria Dialog. V. pag. 160. & ipſe argenteus, cuius prior pars adſimili protome exornatur. At in averſa parte Minotaurus cum ſubiecto delphine conſpicitur, adiecta epigraphe, quam incognitam Vir ille doctiſſimus nuncupavit: quae plane in hunc modum, ut vides, expreſsa eſt:

S I S ✝ L V S *hoc eſt* Ƨ V ꓘ ✝ Ƨ I 8

Ea-



Eadem fere eſt, quam in hiſce Paeſtanis nummis ſignatam intuemur: nam littera S nihil eſt niſi 8 aliquantulum detrita; adeoque eam ſic interpretor: PHISTLVS: etenim mihi videtur *Pheſti* Etruſcum nomen fuiſſe *Phaeſtulus*; gentile vero *Phaeſtilius*. Auguror tamen ab Auguſtinio epigraphen illam inverſo litterarum ordine forſitan exſcriptam eſſe; cum ad normam aliorum numiſmatum ſcribendum eſſet, ƧV⅃✝ƧI8: litteris a dextra ad ſiniſtram excurrentibus; quamquam & e contra (cuius modi exempla non deſunt) ſcribi potuerint.


Id vero mihi perquamgratum fuit, quod inde rem Nummariam Paeſtanorum novo hoc monumento cumulatam intellexerim. Sed nec cumulatam modo, verum & confirmatam; nam inſigne Minotauri Campanis, & Lucanis Vrbibus, aliisque finitimis comune fuit, quo ſe a Cretenſibus ortos profitebantur; unde etiam roborari videbatur ſuſpicio illa mea, Paeſtanos noſtros a Phaeſtanis Cretenſibus derivaſſe. Accedit delphinis imago, quae maritimam Vrbem deſignat. Nec longe abiit Auguſtinius, qui nummum hunc illi orae attribuit,

per

per haec verba : *In aliquibus nummis plurimarum Vrbium Regni Neapolitani, Latinis, Graecis, & Oſcis, Minotaurus conſpicitur, facie tantum, & barba humana, cetera taurus*. Nummos vero Oſcos appellat, *in quibus incognitae litterae reperiuntur*; *cetera vero aliis Neapolitanis aſſimilantur*. Incomptum vero caput Meduſae referrem: ſeu potius, quia ſerpentibus caret, vel Paſiphae Minotauri matri, ſeu Circe Solis filiae, cuius per ea littora maxima fama extitit, niſi in Muſei mei Lucerna 89. Tom. I. caput Solis ita expreſſum intuerer, aurigae habitu effictum. Inſcriptio haec praeſens FISTLVS, omnium maxime accedit ad nomen Vrbis Paeſtanae; ſed, ut verum fatear, diminutive mihi videtur conceptum, quaſi non *Paeſtus*, ſed *Paeſtulus*, ſeu *Pheſtulus* dictum eſſe videatur: tradita forte ratione ad Phaeſtum Cretenſium, unde profecti Coloni, Pheſtulum, ſive parvam Pheſtum condiderint: quod etiam in aliis Graecorum Coloniis factum fuiſſe demonſtravimus in Libro *de Nominibus Vrbium & Locorum Italicorum*. Huius vero inſcripti nummi coniectura facile aſſequor etiam alterum, qui editus eſt in eadem Tab. num. I. ex Muſeo Goriano, & in quo idem plane caput obſervatur, licet litteris deſtitutum ſit, Paeſtanis tribuendum. Forte decurrens animal, Minotaurus eſt. Sit interim quidquid libet; omnibus aliter iudicandi ius eſto. Area, per quam id animal decurit, inſtar tortuoſi ſerpentis, qui in nodum ſinuatur, expreſſa eſt; cuius ratio nobis in occulto. Pluribus vero globulis exaſperatur, caſu ne, ſeu ad valorem deſignandum adiectis, mihi non conſtat. Haec tamen omnia ad excitanda potius Cultorum Antiquitatis ingenia, ut meliora proferant, quam ad inſtruendum me dixiſſe, denuntio; atque ut Gorio Viro amiciſſi-

ciſſimo morem gererem, & tuum mihi, Nicoline Vir Amplissime, favorem ac benevolentiam tenui hac obſequii ſignificatione conciliarem.

Piſauri, in meo Muſeo ſcribebam vii. Eidus Apriles. ann. MDCCXLVIII.





IO. BAPTISTAE PASSERII
PISAVRENSIS

Protonotar. Apostol. & Regiae Societatis Londinensis Membri.

DISSERTATIO
DE
HELLENISMO ETRVSCORVM
AD VIRVM CL.
ANT. FRANCISCVM GORIVM
BASIL. BAPTISTERII FLOR. PRAEPOSITVM

Eiusdemque Regiae Societ. Londin. Florentinae, Etruscae, & Columbariae Membrum.



Elicibus auspiciis venit ad Te, CLARISSIME GORI, quae Tibi omnino debetur, haec mea Dissertatio, sive Diatriba DE HELLENISMO ETRVSCORVM. Siquidem primus omnium, quum observasses veterrimas Etruscorum litteras, easdem esse ac antiquissimas numero XVI. Graecorum, idque probasses adlatis figuris, & schematis ex pri-

ſcis monumentis utriuſque Nationis (1): adnotaſsesque Etruſcos (exceptis Fabulis aliquot propriis, ac peculiaribus) conveniſſe cum Graecis in Fabulis exhibendis in ſuis ſeu Sculpturis, ſeu Picturis; inde hac face praelucente, multa detexiſſes; hoc amplius ope, & praeſidio Graecae Linguae confeciſti Interpretationem *TABVLAE EVGVBINAE*, Etruſcis litteris ſcriptae, quae in Dempſteriano Opere numero II. adfertur; ſed apud me, ut vidiſti, eſt XI. ut oſtendi in meis *Roncalienſibus Epiſtolis*: quam tamquam merae Divinationis ſpecimen expendendam & probandam, vel improbandam Litterario Orbi obtuliſti in Volumine Primo tui Muſei Etruſci; editoque Etruſcorum vetuſtiſſimo Alphabeto, earumdem litterarum poteſtatem ex ſcriptis monumentis, quae in Etruria effoſsa ſunt, comprobaſti; & antea incognitam aliquot litterarum, nempe ↓ & ‡ poteſtatem, ipſe primus aperuiſti. Pro hiſce igitur tuis aliisque egregiis in Litterariam Rempublicam meritis, has meas lucubrationes Tibi animo lubens ſiſto, voloque ut ſit perpetuum mei in Te amoris & benevolentiae monumentum.

Occaſionem, ut ingenue fatear, ad haſce eruditas epulas inſtruendas, ſuaviter hortans, immo amice impellens, mihi praebuit amicus noſter Eruditiſſimus, & Clariſſimus Paciavdvs, qui proximis annis, quum Piſaurum divertiſſet, & me, breviuſculo quidem, ſed ſuaviſſimo temporis intervallo, praeſentia ſua beaſset, una cum Ornatiſſimo Oliverio noſtro, quo Cive Vrbs iſta perpetuo gloriabitur; quae eiuſdem viri ſumma eſt in me benevolentia, non probavit ſolum, verum

& lau-

(1) In Prolegomen. ad Tabulam Eugubinam in Vol. I. Muſei Etruſci pag. XLVIII. & XLVIII. & in Vindiciis Alphabeti veterum Etruſcorum.

& laudavit prospectum alterius Opusculi, quod animo dudum conceperam, de Etrvria Homerica, in quo ea Tuscorum Monumenta ordinaveram, in quibus divini Poëmatis Historia continetur. Fortasse labor ille meus in lucem iam prodiisset, Te auspice, mi Gori Amicissime, cui adhuc sub ascia illud dedicaveram, nisi interim subiisset animum, ut in Tabulas Dempsterianas nondum satis explicatas, Paralipomena quaedam conscriberem, quae magna sui parte Etruriam Homericam absorbere visa sunt: quod continuo praestiti, fore sperans, ut brevi ea tibi perlegenda offerantur. Ne tamen interim spem tuam, & expectationem omnino fallerem, opellam hanc priori affinem perfeci de hellenismo etrvscorvm, quae Tibi in praesentia sistitur: in qua quidem indubitata plura vestigia Graecae linguae per Etruscam ubique sparsa prae oculis subiiciuntur; adeo ut ex illis huius idiomatis origo, & natura quodammodo ostendatur. Quae vero nunc expendenda, Vir Doctissime, Tibi subiicio, ea sunt, quae ad rem sacram tantummodo pertinent, quae tamquam omnium maxime perspicua agmen ducunt. Cetera, quum per otium licebit, prosequemur.

I. Quod vero hoc argumentum tractandum sumpserim, id Cl. Paciaudi ingenio acceptum quoque refero. Quum enim Commentaria eius in Monumenta Cuprensia sedulo meditarer, ubi praecipue de Dea Cvpra mentio est, quo nomine Etrusci Iunonem appellarunt; quaerere incoepi, unde hoc illi inditum fuisset, & quid Etruscis significaverit: & primo quidem obtutu nihil aliud importasse credidi, quam si *Bonam* dixissent; nam scriptum legimus apud Varronem de Ling. Lat. Lib. iv. *Vicus*

Cyprius a Cypro, quod ibi Sabini cives additi consederunt, qui a bono omine id appellarunt; nam Cyprum *Sabine* Bonum. Fuisse vero Sabinam linguam Etruscae filiam, vel sororem, aut omnino affinem, & conterminam, nemo dubitaverit. Hinc propterea in suspicionem veni, *Deam Cypram* eamdem fuisse ac *Bonam Deam*.

Sed quia in re dubia haud facile acquiescendum est, textum Strabonis adeundum censui, ex quo huius Deae nomen excepimus. Sic ille Lib. v. *Dein Cuprae est Fanum conditum, dedicatumque ab Etruscis, qui Iunonem vocant CVPRAM*. Sed quia in Graeco texto ΚΥΠΡΑΣ, & ΚΥΠΡΑΝ manifeste legimus; *Cypram* potius, quam *Cupram*, vertendam fuisse evincitur: & quamquam obvia semper fuerit transmutatio Υ in V; nihilominus inane videbatur ad hanc metastasin confugere, quum ad vocis etymon assequendum plana erat via ex ipsomet nomine, quod passim Veneri attribuitur, quae *Cypris* vocatur a Latinis: quapropter, ubi nos analogiam inveniremus inter utramque Deam, quae satis prompta est, ut infra indicabimus; si intelligamus quid significet idem nomen Veneri attributum, facile quoque obtinebimus quid importet, ubi Iunoni tribuatur.

Unde Venus Cypria dicta sit, disputant veteres Mythologi. Putant aliqui a Cypro insula Veneri sacra fuisse nuncupatam. At horum opinio facile refellitur, quum eamdem insulam longe alio nomine ab Antiquis dictam intelligamus; nam Plinius Lib. v. Cap. 31. eius vetusta nomina recenset *Acamantida*, *Cerastin*, *Aspeliam*, *Amathusiam*, *Macariam*, *Crypton*, atque *Coliniam*. Addit Stephanus de Vrbibus *Amathusiam*, *Meionim*, *&* *Spheciam*: subditque Philostephanus, *Spheciam* appellatam, antequam Venus ad eius littora appulisset; unde facile

coniectatur alterum ei nomen indidisse Venerem, quod inde ei loco stetit, & quo adhuc illum appellamus: quapropter potius a Venere Cypra datum fuisse insulae nomen, quam inde acceptum reputamus. Idem fere observatur in ceteris locis, quae a Deorum contubernio nomen, & famam simul acceperunt, ut in Opusculo de nominibus Vrbium Italicarum demonstrabimus. Rursus alii putant Venerem Cypriam nuncupatam a ΚΥΠΡΙΖΩ, quod est *germino;* unde etiam *cupressum*, & *cyperum*, aliasque non paucas plantas vocatas ferunt: recte vero haec significatio Veneri tribuebatur, quum generationis principium esse putaretur; quam vim etiam Iunoni attribuebant, quae partubus praesidere ferebatur. Sed omnium maxime mihi arridet sententia illa, quae *Cypriam* Venerem dictam ferunt a ΚΥΕΙΝ ΠΟΡΕΙ, quod facultatem indicat partuum feliciter gestandorum; nam ΚΥΩ est *in utero gerere;* ΠΟΡΕΩ, *dare* seu *concedere*: cui opinioni adhaeret Festus in *Cypria Venus*, qui prae ceteris hanc probat: *quia parientibus praesidet, quod graece* ΚΥΕΙΝ parere *sit*. Etiam Giraldus in Historia Deorum Syntag. XIII. idem Veneris agnomen inde factum recenset, haec scribens: *Cypris Venus frequenti cognomine dicta, ut ait Theophilus, quod parere faciat, quod & Phurnutus innuit, idemque fere in Homerum Grammatici dicunt, hoc est veluti* ΚΥΕΙΝ ΠΟΡΕΖΟΥΣΑ: quod etiam firmat Phavorinus in hac voce allegatus a Tusano per haec verba: ΚΥΠΡΙΣ *Venus* dicta, quasi ΚΥΟΠΟΡΙΣ ΥΙΣΟ ΙΣΑ ΩΕ ΤΟ ΚΥΕΙΝ ΠΑΡΕΧΟΥΣΑ

Hinc colligimus Graecos, quum ΚΥΠΡΙΝ dicerent, idem fere intellexisse, quod Latini, quum *Lucinam* proferebant; hoc est potestatem quamdam, quae partubus feliciter egerendis praesideret: unde etiam

assequimur cur *Iuno Cypra* ab Etruscis dicta sit; ipsa enim non aliter ac Diana, eodem Lucinae nomine indigitata, hoc officium praestare putabatur. Varro Lib. iv. de Ling. Lat. *Ideo videtur a Latinis Iuno Lucina dicta, vel quod Terra, ut Physici dicunt, iuvat, & lucet: vel quod ab luce eius, qua quis conceptus est, una iuvat, donec mensibus actis produxerit in lucem. Facta igitur a iuvando, & luce, Iuno Lucina, a quo parientes eam invocant:* Et Cicero de Natura Deor. Lib. II. *Vt apud Graecos Dianam, eamque Luciferam; sic apud nostros, Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Hinc etiam *Natalis* dicitur apud Tibullum:

Natalis Iuno sanctos cape thuris acervos.

Egeria quoque ab *egerendo*, ut Festo placet, dicta est. Quemadmodum vero Latini, quum Lucinam dicerent, nullum peculiare Numen indigitabant, sed attributum tantum, quod pluribus conveniebat; ita quum Strabo tradiderit, Iunonem a Tuscis vocatam *Cypram*, non de nomine proprio intellexisse credendum est; sed tantum de attributo: quum ceteroquin diversimode ab Etruscis appellatam fuisse constet ex inscriptis monumentis, quae suo loco indicabimus. Propria enim Deorum nomina inter Religionis arcana censebantur, quae non nisi Pontificibus innotescebant: forte ac etiam nulla erant; neque alio signo inter sese distinguebantur, quam attributorum, quae dum alicui Poetae, vel usu populorum probata essent, rata, ac iusta habebantur.

Video tamen mihi bellum parari ab his, qui nullam affinitatem inter Graecum, & Etruscum idioma inveniri posse asseruerunt: ex quo inique pariter, atque inaniter Te, mi Gori, huius sententiae antesignanum criminati sunt: nempe ii, qui ita crediderunt, & de Etruscae linguae na-

tura

atur disputare praesumpserunt, & extrinsecis potius, iisque nimium ambiguis argumentis dubitationem suam fulciverunt, quam ipsius linguae experimento: quam si sedulo attentassent, totam scatentem Hellenismo deprehendissent. Neque alia certe patebat via ad hanc veritatem assequendam; nam qui Etruscae gentis origines perscrutandas sibi constituerunt, ut viam sibi sternerent ad illorum linguam intelligendam, in duplicem difficultatem incurrerunt. Harum prima est ipsa Scriptorum ambiguitas, qui de huius gentis derivatione sermonem fecerunt. Qui praeterea de Etruscis quum loquuntur, numquam de universo Populo, sed de peculiaribus quibusdam Coloniis in Etruriam deductis intellexerunt. Nemini enim in Antiquitatibus perito persuasum unquam erit totum illum, ac tam grandem Populorum coetum, qui Etrusco nomine vocatus est, ex una eademque origine provenisse. Veteres Coloniae a satis modicis principiis processerunt; nam ubi civiles discordiae, annonae caritas, populatio, exscidium, aut alia calamitas populos vexarat, pars illorum vel magis depressa, vel audentior, modicis paratis navibus, adscitoque Deorum oraculo ad spem credulorum confirmandam, novas sibi sedes tentabant potius, quam quaerebant: hinc, atque inde saepe saepius ab incolis propulsati, ut plerumque solet, non quae magis commoda, & opportuna forent, sed quae magis solitaria, atque inermia, loca deligere coacti sunt. Et revera quotquot in Etruria, in Campania, & magna Graecia Vrbes extiterunt, omnes fere diversam originem, aetatem, & Conditores habuerunt, quarum historiam diligenti inquisitione prosequuti sumus in praefata Diatriba *de Nominibus Urbium, & Locorum Italicorum*: quam si per otium liceat ad finem perducere, brevi publicare meditamur.

mur. Hinc ſit, ut inanis paene ſit diſquiſitio de Etruſcorum origine, qui a tam diverſis principiis proceſſerunt, ad linguam illorum intelligendam.

Quod ubi etiam aſſequeremur, alia nihilo minor difficultas inſurgeret, ob penitus immutatam veterum Populorum linguam, eamque omnino ignoratam. Ubi enim conſtituerimus Etruſcos ex Lydia proceſſiſse, quis unquam demonſtrabit, quo idiomate veteres Lydi, illisque contermini Phryges uterentur? Vix enim ex omnibus Scriptoribus vicenas Phrygias voces ſuperſtites habemus, quae diligenter collectae, nihil fere cum Etruſcis commune habent. Eadem fere obſervavi in pauculis aliis, quae ex lingua Punica relictae ſunt. Multo plures remanent nobis ex vetere Aegyptia, quae tamen nihil omnino praeſtant ad finem hunc aſsequendum. Lingua quoque Phoenicum penitus excidit, nec paucula eius monumenta contemporanea ſunt deductionibus Coloniarum; & ſi quae ſunt poſteriora, atque Syriacae linguae affinia, in hac re quidquam non praeſtant. Si vero veſtigia aliqua ex enumeratis dialectis in Etruſca unquam recurrunt, haec potius primitivae linguae referenda ſunt, cuius ſemina longe lateque diſperſa in omnibus, quae inde derivatae ſunt (quamquam corrupta ſaepe ſaepius deprehendantur) quae diligenti ſtudio proſequutus eſt Rabi David Provenzalius in Libro, cui titulus דור אפלגה, in quo profitetur ſe innumeras fere voces ex Hebraica lingua ſuperſtites inveniſſe in Illyrica, Graeca, ac Latina: quod etiam de hac poſtrema obſervavi in Diatriba *de Hebraiſmo Latinorum*, in qua innumeras alias a Voſſio praetermiſsas collegi. Ex quibus probe intelligis, Gori Praestantissime, Latinum idioma vix abnepotem ab Hebraico computari.

Si

Si tamen ab Historia Etruscae originis auxilia ulla expectanda essent ad eam linguam percipiendam, ea potissimum Hellenismo faverent, quum, ut plurimum, intelligamus Etruscas Urbes a Graecis, Cretensibus, & Pelasgis fuisse conditas, ut in eadem Diatriba *de Nominibus Urbium* demonstarabo: quae omnia in causa fuere, cur tu, Clarissime Gori, plus Graecae, quam ceteris linguis circa id officium praestandum detuleris. Id etiam multiplici experimento observavi circa Deorum Etruscorum nomina, quae cum paene omnia a Graeca lingua processerint; maxima inde suboriebatur suspicio totam quoque linguam Etruscorum ex Graeca, quum adhuc cruda, & inculta esset, processisse: non quidem ex illa, qua Graeci Scriptores usi sunt; sed utique antiquiore, dum adhuc Phoeniciam, & Aegyptum, unde processerat, re sonaret; quod etiam in *Roncaliensibus* indicaveram. Referamus igitur singula Tuscorum Numinum vocabula, ut, illa *Dea Cupra* agmen ducente, Hellenismum profiteantur.

II. In patera Cospiana edita Mus. Etrusc. Tom. I. Tab. cxx. ubi ab erroribus repurgata, integritati suae tuis curis reddita est, & in qua Minervae ortus repraesentatur; huic Deae inscriptio addita est AINIT. Multi multa ingeniose de hoc nomine prodiderunt. Mihi aphaeresis est Graeci nominis ΑΘΗΝΑ; quod factum volunt ex Α, & ΘΗΛΗ, quasi sine mammilla, aut lacte educata; quippe quae adulta nata est. Tusci vero ex alio principio nomen AINIT, hoc est *Tinia*, adscire potuerunt; nimirum a ΤΙΝΑΣΣΩ, quod *concutere* significat; eo prorsus modo, quo ΠΑΛΛΑΔΑ, a ΠΑΛΛΩ, *vibrare*, dictam volunt Eruditi.

III.

III. Minervae nomen fuit apud Tuſcos, atque Latinos alterum eiuſdem Deae vocabulum. Tyrrhenis aliquando eſt 𐌀𐌅𐌓𐌍𐌄𐌌, ut in Patera apud Dempſt. Tab. iI. & in altera, quae Tab. iv. publicata fuit. Alibi eſt 𐌀𐌅𐌓𐌄𐌍𐌄𐌌, ut ibi in Tab. vi. rurſuſque alibi diverſimode deformatum obſervatur: quod ego Cacographiae Etruſcorum tribuendum cenſeo, quibus inter inſculpendum litterae effugiebant; vel, praetermiſſis haſtulis, corrumpebantur. Si tamen praecipuam utriuſque nominis vim perſcrutemur, unum atque idem illud eſt. Viguerit ne hoc nomen apud Graecos, nondum inveni; quamquam inde factum non dubitem, nempe a verbo ΜΑΙΝΟΜΑΙ *furere*; unde ΜΑΙΝΟΛΙΟΣ dictus eſt Bacchus, quaſi *furens*, & ΜΑΙΝΑΣ Baccha, & ΜΑΝΙΑ *furor*. Nec fortaſse a vero abhorret, Minervam dictam a ΜΕΝΟΣ, *fortitudine*; unde ΜΕΝΕΔΗΙΟΣ *bellicoſus*: & revera aliquando Minerva Tuſcis fuit 𐌀𐌄𐌓𐌄𐌍𐌄𐌌, quae littera 𐌓, quae plerumque q importat, etiam pro Graecorum Δ, aliquando uſurpata eſt. Noſtrates, ut a *Venus* effecerunt *Venereum*; ita a ΜΕΝΟΣ *Menereum*, & *Menerearn* facile inflexerunt, epithetum nempe huic Deae aptiſſimum: ut enim alibi demonſtravimus, Deorum, Dearumque nomina adiectiva magis, quam ſubſtantiva fuerunt.

IV. Hercvles Graecis ΗΡΑΚΛΕΣ in patera Dempſteriana iI. & vi. 𐌄𐌋𐌂𐌓𐌄𐌇 inſcribitur, quae prioris nominis ſincope eſt. Macrobius Lib. I. Cap. xx. Saturnal. etymon illius publicavit: *Hercules enim quid aliud eſt, niſi* ΗΡΑΣ, *ideſt*, aëris ΚΛΕΟΣ, *ideſt* gloria. Quae tamen derivatio ingenioſa magis, quam veriſimilis mihi videtur: ut, ſi veterem ſimplicitatem reſpiciamus, illum magis ita di-

dictum reputemus; quasi Heroa, seu Genium clarorum gestorum, ab ΗΡΩΣ, & ΚΛΕΙΩ; unde ΚΛΕΙΑ, *celebria*, & *clara opera*.

V. Ad Ivnonem veniamas. Duobus nominibus audit apud Tuscos. Primum ex patera Cospiana patuit, hoc est ꓤ ꓧ ꓲ ꓤ O. Quod quidem aliquando quasi ΘΑΛΕΙΑ dictum reputavi, quod *Feminam* importat: ac si antonomastice Iunonem Feminarum dignissimam nuncupaverint; hoc est Iovis Coniugem. Dum tamen haec animo volverem, forte incidi in Pausaniae locum in Boeoticis, unde Graeca origo Etrusci nominis manifeste deprehenditur; nam de Iunone agens, haec tradidit: *Templi Numen TALEAN, hoc est ADVLTAM Iunonem vocant*. Est igitur haec nostra ꓤ ꓧ ꓲ ꓤ O eadem ac ΘΑΛΕΑ, a ΘΑΛΕΩ *pubesco*; in quo una tantum ratio inquirenda fuit, cur littera E in N mutata sit, quod nulli mysterio referendum censui, nisi quod paterae Cospiani Musei incisor, pro littera ∃, seu B, litteram ꓧ substituerit.

VI. Eadem Iuno in eadem Tab. II. apud Dempsterum ƧIꓘ∃ dicitur; in quo nomine parum laborabimus, ut Iunonis Graecam appellationem inveniamus, quod est ΗΡΑ. Dictum ne sit ab ΕΡΑ *terra*, vel ab ΑΗΡ *aër*, ut opinatur Plato in Cratylo: seu potius ab ΕΡΑΤΗ, *amabilis*, quod sibi Iovis amorem conciliaverit, ut coniicit idem Plato, affirmari certo non potest. Ipsa dubietas, cum qua maximus ille Philosophus procedere videtur, quamquam & Graecarum Religionum, & patriae linguae peritissimus, clare ostendit quantum hae res occultae haberentur, & ut ipsos Graecorum sapientissimos laterent. Ne tamen videamur examen istud intenta-

tatum praetermittere, a quo non modice vetus Mythologia illuſtratur, operae pretium eſt, ut commune Graecorum vitium, immo & Latinorum agnoſcamus, qui propriae linguae origines, non aliunde quam ab eorum lingua expetendas eſſe duxerunt; quod praeſertim contemptui ſimul, & ignorationi linguarum Orientalium attribuendum eſt, in quibus commode has nominum cauſas invenire potuiſſent: quamquam omnes, qui divini illius Philoſophi immenſam doctrinam perſpectam habemus, facile perſuaſum habeamus, ipſum Aegyptiae, & Phoeniciae linguae peritiſſimum, facile rem aſſequi potuiſſe; ſed tamen praecavendum prudenter duxiſſe, ne Graecas Religiones a Phoenicia, atque Aegypto derivaret, a quibus ceteroquin Graecia tota, & legibus, & moribus diſcrepabat. In ea tam varia, tam multiplici, atque incerta diſputatione, quam de nominibus Deorum inſtituit, clare oſtendit, non quae ipſe crediderit, ſed credi opportuna reputaret, tradidiſse, ne vulgi opinionem novitate perturbaret. Hinc tot & tam varias opiniones de cunctis Deorum nominibus retulit, &, quantum tempora ferebant, illuſtravit. At Plutarchus qui liberiore aetate floruit, in qua mutatis moribus haec Religionum arcana ceſsaverant, minime dubitavit ex Aegypto adſcire non paucas eorumdem nominum ſignificationes; quippe qui Romae ſerviebat, cui totus aeque Orbis pari ſervitute famulabatur.

Sed, ut ad rem, GORI Amicorum ſuaviſſime, revertamur, haec Iunonis appellatio fortaſſe proceſſit ab ΕΡΑΩ *amare;* unde factum eſt ΗΡΟΣ, per quod Caeleſtis Genius ſignificatur; quamquam doctiſſimus Grammaticorum Hebraicorum Pagninius Heroas dictos putet ab הרר *herer*, quod *ſubli-*

me

me significat, & translate de hominibus quoque usurpatur; nam ubi transtulit illud Isaiae XXXIV. 12. *nobiles eius non erunt ibi*; reddidit *Heroes tui*. Unde interim id nomen Iunonis Graeci exceperint, parum nobis refert. Id unum ad rem nostram sufficit, ut intelligamus ab ipsis Graecis illud Etruscos excepisse; dein ab Etruscis Romanos, qui inde *Herum* & *Heram* effecerunt: quibus nominibus non modo *Dominum*, & *Dominam* significarunt; verum etiam, & Deorum promiscuum attributum: legimus enim apud Festum *Heram Marteam* unam ex Martis comitibus, & *Heram* pro Fortuna, ut apud Ennium v. Annal.

Vos ne velit, an me regnare Hera, quidve ferat sors,
Virtute experiamur:

& Plautus in Mercatore pro Fortuna dixit; *Neque Hera eadem est hominibus*. Immo Catullus gemino in loco Elegiae ad Manlium, generico nomine Deos omnes *Heros* adpellavit.

Hostia caelestes conciliasset Heros,
Quod temere invitis suscipiatur Heris.

Sed, ut verum fatear, Graecis etiam id nomen promiscuum fuit; nam Pausanias in Arcadicis signa duo nobis memorat ex uno lapide exscisa Cereris, & Herae; quanquam paulo post ipsam quoque Cererem hoc nomine dictam tradat: *Ceres tamen ipsa hoc Herae cognomen habet . . . . Cuius tamen proprium nomen Persephone est ab Homero, & ante eum a Pampho usurpatum. His autem Herae nomen non est ausus ad profanos prodere*. Vnde suspicamur grande aliquod mysterium in illo delituisse. Quae tamen huc usque diximus, viam nobis sternunt ad difficultatem aliam proponendam magis, quam dissolvendam:

nem-

nempe Deam hanc, quae in hac patera hoc nomine appellatur, nudam omnino esse, licet monilibus, & armillis ornatissimam: qui cultus Venerem potius, quam Iunonem videtur indicare. Et revera Iuno in aliis monumentis, seu Tuscis, seu Latinis nunquam nuda conspicitur, etiam cum Paridi diiudicanda sistitur Mus. Etrusc. Tom. I. Tab. CXXVI. & CXXVIII. & Domesticar. Lucernar. Tom. II. Tab. XVII. Nec Venus ab hoc praesenti typo aliena esset, in qua Herculis Apotheosis exprimitur, ob illas potissimum rationes, quas infra, dicturi de Hercule, referemus. Praemittendum tamen duximus, atque exemplis confirmandum, id Herae nomen commune multis extitisse, nec propterea a Venere fuïsse alienum, ne in hac imagine Iunoni vindicanda, inani labore detineamur. Quaecumque interim ea sit, Tuscum nomen Graecam originem profitetur.

VII. Hucusque Iunonis imaginem contra omnium opinionem in dubium revocavi, ut Veneri potius tribuenda reputetur. Detur nunc mihi, ut pari studio veritatis, Tethidem in eadem patera expressam, & nemini adhuc in dubium positam, non modo ancipitem, sed & omnino ab ipsa diversam, demonstrem. Dea est tunicata, & ingentibus alis munita, apposito nomine:

2 I O Ǝ

quod omnes hactenus *Thetis* legendum crediderunt; nam iterum in Tab. XCI. apud Dempster. in qua Tethidis raptus repraesentatur, 2IOƎO inscriptum est; sed posteriore hoc loco, & Historia, & scriptura nullam admittit difficultatem.

Sed

Sed in patera, de qua ſermonem inſtituimus, neque hiſtoria, neque inſcriptio illi congruit; nam nullas partes habuit in Herculis apotheoſi, neque pinnae illi conveniebant; nec inſcriptio legenda eſt THETIS, ſed ETHIS. Vero igitur magis accedit ſub hac imagine Aeternitatem ſignificari, cui Pallas Herculem ſiſtit: neque de ſubiecta, ac minutula litera *o*, habenda eſt ratio, quam ego metalli vitio potius, quam ſcripturae attribuo, ut obſervatum fuit in conſimili litera interpoſita nomini ΘΕΡΚοLΕ in Patera Anſideiana, apud eundem Dempſterum Tab. VI. Si enim in praeſenti hoc monumento vicem litterae obtinuiſſet, nec ab ordine deturbata eſſet, nec mole diminuta; nam ſpatii anguſtia poſtremas litteras potius, quam primas, e linea deturbavit, ut in Tabulis Eugubinis, & Sarcophagis obſervamus. Neque illud obiiciatur Scalptorem admiſſi erroris conſcium, ut ſphalma emendaret, illam ita ſubieciſſe; nam ſi adeo cautus ille extitiſſet, etiam literam E, quae deeſt in proximo nomine ΑΞΘΗΞΜ, ſuperaddidiſſet, ut monſtrum illud avertiſſet contra communem Tuſcorum uſum, quibus illud numen ΑΞΘΕΗΞΜ eſt, ut in patera quinta, & ſexta eiusdem Operis. Haec igitur noſtra ƧΙΟΞ eſt ipſa AETAS Latinorum, unde *Aeternitas*. Ea vox Graecis ΕΘΟΣ eſt, qua *annum* ſignificant, ab Haebreis omnino mutuata, quibus עת *het*, ſignificat *aetatem*. Quapropter probabile eſt Etruſcos hanc ƧΙΟΞ adpellationem non pro *anno* ſimpliciter uſurpaſſe; ſed metaphorice, pro *toto aevo*; quemadmodum Graeci uſurparunt ΔΙΑ ΒΙΟΥ, pro ΔΙΑ ΠΑΝΤΑ ΒΙΟΥ *aetatem*, pro *omni aetate*; quod etiam a Latinis factum eſse probat Voſsius in *Aevum*. Sed

ne vel minimum miremur, Etrufcos Aeternitatis nomen a Graecis excepiffe, eft in promptu alterum exemplum Etrufcae dictionis |ꟻA, quae *aevum* Latinorum importat; nam notis numerabilibus aetatem indicantibus femper coniungitur. Eft vero |ꟻA a Graeco ΑΙΩΝ, quod *aevum* fignificat. Haec tamen circa id nomen ƧIOƎ dicta fint, quatenus recte fcriptum effe reputemus; fed maxime dubito alterum mendum in hoc nomine admiffum, nec ƧIOƎ, fed potius ƧI8Ǝ fcribi debuiffe ad Herculis coniugem *Eben* defignandam; quae pariter alata eft in Vafe Etrufco Mufei Caefarei, ut fufius indicavi in *Paralipomenis Dempfterianis* brevi prodituris, in quibus hanc pateram diligenter explicavi. Sed ubi etiam admittamus in hac imagine, non *Aeternitatem*, fed *Eben* contineri; fuftineri etiam poteft Infcriptio ƧIOƎ; nam *Ebe* eadem ac *perpetua Iuventa* habebatur.

VIII. MERCVRIVS in patera II. eiusdem Operis adpellatus cernitur ƧMᐊV1: in altera vero, quae Tab. V. exhibetur, ƎMᐊƎΦ: ex quo pofterioree loco intelligimus in priore littera V1 irrepfiffe pro ƎΦ, five ƎB; adeoque citra haefitationem eft ipfum ΕΡΜΕΣ Graecorum, cuius fignificatio communiter defumi folet a verbo ΕΡΜΗΝΕΙΩ, *interpretari*, ac *annunciare*: quae officia ipfi tribuebantur, quod Deorum Nuncius haberetur. Huic opinioni favet Diodorus Siculus Lib. I. Cap. II. *Mercurius Graecos docuit verborum interpretationem; unde & ipfum Hermea, hoc eft,* Interpretem *adpellaverunt*. Et Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. XVII. circa huius nominis fignificationem ita loquitur: *Quia fermo interpretatur,*

cogi-

cogitationes latentes, ΕΡΜΗΣ ΑΠΟΥ ΕΡΜΗΝΕΙΝ, *propria adpellatione Mercurius vocatus est*.

IX. BACCHVS in eadem patera Tab. III. adpellatur ΑΙΝΙΤ. Fuere aetate nostra, qui mirum in modum ingenium vexaverunt, ut huius nominis derivationem assequerentur; sed inde toto caelo aberraverunt: & quidem planissimum erat illud deducere a vulgato eius cognomento ΘΕΟΙΝΟΣ: unde ΘΕΟΙΝΙΑ dicta erant Bacchanalia, & ΘΕΟΙΝΟΝ eius Templum, ut habetur apud Hesychium. Ex eodem themate facile processit, vel saltem illi consonum est, vulgare eius epitheton ΘΥΩΝΕΥΣ, quod alii factum putant a ΘΥΩ *sacrum peragere*, ob mystica illa initia toto orbe frequentata, quae in eius honorem celebrabantur: seu, ut aliis placet, ab eius matre Semele, quae etiam ΘΥΩΝΗ dicta est; quibus adhaeserunt Hesych. atque Lutatius vetus Statii Scholiast. in illud Theb. v.

Tum primum sese trepidis sub nocte Tyoneus.

Et omnium primus tradiderat Diodorus Siculus Lib. IV. Cap. V. Alii demum a ΘΥΩ *furere*; unde Bacchae ΘΥΑΔΗΣ, nomen deduxerunt.

X. APOLLO in patera eadem ipscriptus est ΑΓVVV, rursusque per syncopen dicitur VᐺᒣΑ, in altera sequente Tab. IV. Est vero ipse ΑΠΟΛΛΩΝ Graecorum; quod nomen alii factum volunt ab ΑΠΟΛΛΥΩ, *perdere*, seu *vastare*, quod Sagittifer haberetur: seu ob igneam radiorum vim, quae nisi temperetur, omnia adurit. Plato in Cratylo dictum putat a verbo ΒΑΛΛΩ, *emittere sagittas*, atque *ferire*. Chrysippus apud Macrobium Saturnal. Lib. I. Cap. XVI. nominatum cre-

dit a negativa A, & ΠΩΛΛΑΣ, quasi *non multiplicem*, immo *unicum* dixeris; qua de re Latini Solem, quasi *solum* nuncupaverunt. Multa praeterea alia de hoc nomine apud ipsum perhibentur; multoque plura apud Platonem, qui omnia pene officia eius Numinis in eiusdum nominis virtute, & significatione perquirit. Quae inconstantia, ut supra diximus, clare ostendit veram nominum rationem apud paucos Doctos delituisse, qui illam prodere nefas duxerunt: seu potius omnino ignoratam; eo quod a lingua aliqua dependerent, quam Graeci minime frequentarent: quapropter non sine magna ratione dubitari potest id nomen Graecos accepisse ab Aegyptiis, quibus APIS, idem ac Sol habebatur. Sed haec fusius examinabimus in libris *Indigitamentorum*, qui ad veterum similitudinem, Origines Deorum, eorumque Nominum rationem continebunt; cuius Operis specimen cum Viro doctissimo Ioanne Francisco Zacharia Societatis Iesu communicatum, ille non modo adprobavit, verum & in Itinerario suo ad Eminentissimum S.R.E. Cardinalem Bibliothecarium Quirinum inscripto, publice denunciavit.

XI. Patera superius recensita Tab. IV. viam nobis aperit eleganti disputationi. Quatuor Numina in hac exprimuntur. Minerva, cui AƎꟼИƎM superscriptum est, Apollo, cui VↃ1A, quos propterea citra haesitationem ullam perspectissimos habemus; sed non ita de ceteris duobus, femina nempe, cui epigraphe imminet ИAꟼV+, & iuvene nudo, cui inscriptum legitur ИAꟼAↃ. Hunc typum in Roncaliensium IX. aliquando ad examen revocans, putavi haec lemmata fuisse transpo-

posita non ad imaginem significandam, sed tantum ad indicandum quibus Numinibus ea patera fuisset dedicata; parum enim referebat an ordo inscriptionis rectus esset, an perturbatus: quapropter *Turan*, Martem esse credidi, qui *Thurius* etiam cognominatus est; feminam vero *Larundam*. At secundis curis, re maturius perpensa, ordinem scripturae minime inversum esse, sed recte servatum recognovi; nam *Laran* ipse Mars est, ita per prostesin dictus a Graecorum ΑΡΗΣ. Vox ista apud ipsos multiplicem notionem habet, & importat etiam *bellum*, *ferrum*, *vulnus*, & *mortem*, ut multiplicibus exemplis ex Homero, & Sophocle cumulatis probant Grammatici. Plato in Cratylo dictum putat ab ΑΡΡΕΝ, *masculus*; seu ab ΑΝΔΡΕΙΑ, ut valeat *fortitudo*. In Indigitamentis coniecturam adducam Graecos ab Orientalibus id nomen excepisse. Quod ad rem pertinet, *Laran* Tuscorum a Graecis exceptum est.

XII. Mulier nuda, quae ΗΑ٩Vϯ dicitur, VENVS est, ipsumque nomen per aphaeresim deductum est a celebratissimo eius Deae cognomine, quo apud Graecos colebatur. Strabo Scythiam Moeoticam describens, memorat insigne Templum Veneris Apaturiae: quam ita dictam volunt, quod singulos Gigantas fefellerit, donec cunctos in manus Herculis occidendos tradiderit; nam ΑΠΑΤΑΩ *fallere* est, proindeque ΑΠΑΤΟΥΡΟΝ eius Templum adpellat Stephanus de Vrbibus, qui & ipse eandem fabellam de Gigantibus Herculi ab ipsa proditis recenset lib. xi. Quae potissima causa est, cur in patera Musei Gherardeschiani, in qua Herculis Apothesis delineata cernitur, Venus interveniat,

niat, tanquam teſtis Herculeae virtutis, atque benefactorum, quibus non homines modo, ſed & Caelites quoque ſibi devicerat At Pauſanias in Corinthiacis mentionem facit Minervae *Apaturiae*, quam & ipſam ita nuncupatam tradit ob fraudem quamdam, cuius recenſet hiſtoriam: atque ob ſimilem caſum Suidas in ΑΠΑΤΟΥΡΙΑ, inſtitutam fuiſſe refert ita dictam ſolemnitatem. Nec eſt cur miremur uſque a Moeotide id nomen in Italiam conceſſiſſe; quum inde etiam ſacra Cabiria adſcita ſint, ut probant Tabulae Eugubinae, in quibus modo Iupiter, modo Mars *Cabiri* adpellantur.

Gemini DIOSCVRI in altera patera Tab. VII. eiuſdem Operis ſunt ꓷV𐌕Ǝꟻꓘ, & ƎꓘV𐌕ᒧVꓶ, quorum poſtremus eſt ΠΟΛΥΔΕΥΚΗΣ Graecorum, in quo dialecti diverſitas Graecam Δ, ut in ceteris, mutavit in T. Ita vero dictus fuit a ΠΟΛΙΣ & ΔΕΥΚΟΣ, *multitudinem dulcedinis* ſignificans, ut placuit Natali Comiti Mythol. Lib. VIII. Cap. IX.

XIII. CASTOR vero Tuſcis ꓷV𐌕Ǝꟻꓘ eſt ipſum Graecum nomen ΚΑΣΤΩΡ dictus, ut putant a ΚΑΣΙΣ, quo *frater*, vel *coetaneus* ſignificatur; eo quia unico partu cum Polluce natus ſit.

XIV. Poſtremum Tuſcorum Numinum, quod in pateris inſcriptione inſculptis, occurrit Muſ. Etruſc. Tom. I. Tab. 86. eſt VICTORIA, nempe, ſeu Genia alata, quae Minervae ſiſtitur. Nomen quod illi adiunctum cernitur eſt ꓶϽƎꓶꟻƧꟻᒧ eſt: quod ex duplici voce conſtat LASA, & VECV. *Laſam* etiam veteres Latini *Laram* dixerunt, ut *Laſem*, *Larem*. *Vecu* vero eſt ipſa Vica, quo nomine

Victo-

Victoriam intelligebant, ut fuſe per nos dictum eſt in Roncalienſibus. Nil igitur ſibi vult haec inſcriptio, niſi *Lara Victoria*. Larem enim omnem fere Deum dixerunt, ut pariter in iisdem Roncalienſibus oſtenſum fuit, & multiplici exemplo comprobatum, ut id quodammodo commune Deorum attributum videatur. *Vecu* vero eſt ipſa Graecorum NIKH, quae vox coaluit ex NE, & EIKΩ *non cedere*; unde NIKAΩ, *vinco*.

XV. Obtuliſti mihi nuper, Clarissime Gori, alterius Etruſcae paterae nondum vulgatae ſchematiſmum, in qua Solis, & Lunae capita globo caeleſti interpoſito conſpiciuntur. Priori lemma ſuperpoſitum eſt ꟸVᛚꓶA, poſteriori vero AᛚAᛚ. Prior & ipſum nomen Apollo per ſyncopen decurtatum; notandum tamen eſt, Etruſcos Apollinem, & Solem confudiſse, cum ceteroquin maximae auctoritatis Scriptores diverſa Numina fuiſse tradiderint. Obſcurior tamen eſt ratio, cur Luna *Lala* adpelletur. Antiquis Latinis LOSNA dicta fuit, ut eſt in patera Muſei Kircheriani: valde tamen dubito ne Etruſcus inciſor lineolam praetermiſerit, ita ut LALA, pro LANA irrepſerit; nam & *Lana*, & *Luna* aphaereſis eſt Graeci nominis ΣΕΛΗΝΗ, quod factum creditur a ΣΕΛΑΣ *ſplendor*, & *lux*; forte ac etiam *Luna* eſt ΛΟΥΝΟΣ, *ſplendidus*, ut exponit Heſychius: quae derivatio omnium mihi videtur planiſsima; quanquam improbabile non ſit id nomen ex Oriente deſcendiſse; nam a לבן laban *albus* fit לבנה *Levana*, per quod Luna ſignificatur, ut eſt apud Eſaiam Cap. xxiv. 23. & Cap. xxx. 26., quae forte eadem Dea Levana fuit, cuius meminit Divus

vus Augustinus Lib. iv. Cap. xi. de Civ. Dei, cuius cura versabatur in pueris e terra levandis; quale officium Lunae etiam, quae & Lucina, attribuebatur. Non desunt tamen rationes, quibus huius paterae scriptura defendatur; nam invenimns eiusdem nominis Infernam Nympham extitisse, quam Iupiter, detracta lingua, quod eius amores patefecerit, a ΛΑΛΕΩ, quod est *blateare*, *Lalam* nuncupari voluit, quae eadem est ac Maia, Lara, seu Larunda, Larum Mater, de qua multa diximus in Roncaliensium ix. quanquam ibi & nominis, & fabulae originem ex Oriente expetendam duxerimus. Quia vero analogia aliqua cum Inferna hac Nympha, & Luna, quae & ipsa Infernum Numen est, intercedebat; facili negotio hinc inde haec nomina, seu potius attributa, ad invicem permutata sunt.

XVI. Tabulae Eugubinae multa insuper Deorum nomina perhibent, quae alibi fortasse non occurrunt. Hos inter primum locum occupat Iupiter, qui invocandi casu adpellatur DI; ut DI GRABOVIE, & ƎИVƧƎ ΙΟ. Id nomen genericum est, & nil sibi importat, quam *Deum*, quod antonomastice Iovi tribuebatur, sive quia tanquam adiunctum illi dari solebat, dictusque inde *Diespiter*, seu *Dispater*. Id vero Tusci a Graecis mutuati sunt, quibus ille ΔΙΣ est. *Esuni* cognomen, idem est ac dixeris *Fatalem*, seu *Fatipotentem*, ab ΑΙΣΑ, *Fatum*, *Sors*, *Parca*, ut apud Graecos *Moeragetes*, hoc est *Parcarum Dux* dictus est, ut apud Pausaniam in Eliacorum posteriore.

XVII.

XVII. Alterum eius nomen eſt ƎꟼVI, de quo integram Diſsertationem aliquando exaravi. Omnium tamen credibilior coniectura eſt, ipſum nomen inique detortum ab Haebreorum Tetragrammato, quod Graecis haud tarde innotuit; quanquam ex verae pronunciationis ignoratione aliquando ΙΑΒΩ, quandoque & ΙΑΩ proferendum putaverint: de quo poſtremo nomine iactari ſolet luculentum illud Clarii Apollinis oraculum, quod exſcripſit Macrobius Saturnal. Lib. I. Cap. XVIII.

Dic omnium ſupremum Deum eſſe ΙΑΩ:
Hieme quidem Plutonem, & Iovem vere incipiente,
Et Solem aeſtate, Autumno vero mollem ΙΑΩ.

ſive tamen ΙΑΩ, ſive ΙΑΒΩ Graecis exſtiterit, inde Tuſci ſuum ƎꟼVI, indeque Latini *Iovem* exceperunt.

XVIII. Inter Tuſca eius attributa *Pater* etiam connumeratur, ƎΘ†AꟼƎꟼVI. At *Pater* eſt ipſum Graecum ΠΑΤΗΡ.

XIX. *Acherunium* quoque adpellant Iovem eadem monumenta, in quibus legimus ƎIИVꟼƎꓘA. Hanc vocem multiplici coniectura explicavi in eisdem Roncalienſibus; ſed fortaſse omnium veriorem praetermiſi; quod nempe *Acheranius* eſset idem ac ΚΕΡΑΥΝΙΟΣ ΖΕΥΣ, *Iupiter Fulgurator*, a fulmine ΚΕΡΑΥΝΟΣ.

XX. Saepe etiam Iupiter *Ocrius* adpellatur, nempe IꟼꓘV. Id epitheton *Montanum* interpretamur, ab ΟΚΡΙΑ, *ſaxo*, vel *monte*; unde Latini ſuum *Ocrim*, pro monte, vel arduo loco acceperunt,

runt,

runt; unde diminutive *Ocriculum*, pro *monticulo*, ſeu *colle*. *Montanum* vero Iovem Iguvini potiſſimum venerabantur, quem, ubi Latinam Linguam exceperunt, *Apenninum* dixere, cui dicata arula, quae nuper ibi ſervabatur, quae mox in Muſeum Veronenſe conceſſit.

XXI. Cum *Ocrio* etiam *Phiſius* ſaepe copulatur, qui Tuſce inſcribitur VIƧI8, quod pariter attributum Iovi datum obſervamus a Lycophrone, apud quem legimus ΦΙΞΙΟΝ ΔΙΑ *Iovem Fugitivum*: eoque cognomine nuncupatum etiam videmus ab Apollonio IV. Argonaut. quod quidem Scholiaſtae interpretantur *Cuſtodem fugitivorum*, illorumque praeterea, qui ad eius aram confugiſſent. Sed ſub hoc nomine facile latet alterum Iovis attributum. Theon apud Gyraldum in Deorum Hiſtoria mentionem facit Iovis *Phyſici*, qui idem ac aër reputatur, a ΦΙΣΑΩ *flare*; unde ΦΙΣΕΜΑ *flatus*: niſi potius dictum velimus (nam res ſatis obſcura eſt) a ΦΥΩ, *naſci*; unde ΦΥΣΙΚΟΣ *naturalis*; ac ſi dixerimus *Datorem*, atque *Auctorem vitae*.

XXII. *Orium* etiam Iovem agnoſcimus ſub duplici illa voce ƧƎꟼV, atque V†ƎꟼV, quo cognomine dudum Graecis Iupiter innotuerat, apud quos ΟΡΙΟΣ eſt, nempe *Terminalis*, ſeu *finium Cuſtos*. Eius meminit Plato in Legum VIII. Demoſthenes inſuper, atque Pollux. Eius cultus etiam ad Romanos traductus eſt; nam, teſtante Dionyſ. Halicarnaſſ. Rex Numa Iovi Terminali terminos conſecravit; ſed in hoc etiam attributo conſuetam veterum inconſtantiam pernoſcimus; nam

Pau-

Pausanias in Corinthiacis Templum observat Apollinis Orii, cuius denominationis originem profitetur se ignorare. Coniicit tamen ita dictum ab iis, qui quum terminos hostium invasissent, eos sibi custodiri ab eius Numine postulabant; nisi potius id attributum Apollini cessit ab Aegypto, ubi Horus *Sol* dicebatur: in quo etiam, ut in plerisque, consonavit lingua Aegyptia cum Hebrea, in qua אור *hor*, *lumen* significat; immo aliquando ipsum *Solem*, ut est apud Isaiam Cap. v. num. 30. ut ostendimus in Dissertatione *de Hebraismo Aegyptiorum*, in qua singulas illorum voces nobis superstites ad examen revocavimus, ut maximam illarum affinitatem cum Hebraicis ostenderemus; & ut ex illarum fonte eas processisse, haud ambiguo iudicio videatur.

XXIII. Inter cetera Iovis cognomina, quae in Tabulis Eugubinis observantur, recensetur etiam OSE, & ipsum Graecum ab ΟΣΙΟΣ, quod Graecis *Deum* significat.

XXIV. Accedit alterum PERSE. Apud eosdem Graecos Palladi hoc cognomen tribuebatur, quae apud Aristophanem dicitur ΠΕΡΣΕΠΤΟΛΙΣ, *Vrbium vastatrix*, a ΠΕΡΘΩ *vasto*.

XXV. *Tephrus* Iupiter IꟼVI I98Ǝ+, obvius est in iidem Indigitamentis, illique respondent *tria tephra*, hoc est *tres manubiae*, quae illi a Disciplina Fulgurali tribuebantur, quaeque expiantur *tephralibus piaculis*, hoc est *fulguralibus*, quibus fulmina vel deprecabantur, vel avertebantur, seu potius condebantur. Est autem *Tephrus*

phrus a ΤΕΦΡΟΩ *in cinerem ago*, quaſi a ΤΥΦΩ *uro*.

XXVI. *Trebus* inter alia eius epitheta recenſetur, diciturque ƎꟾꟼVꟾ ƎBƎꟼꝉ ; id vero & ipſum Graecum eſt a ΤΡΙΒΩ, *adurere* , *&* *in cinerem convertere* .

XXVII. Tribuitur quoque Iovi attributum NEPITV . Anne idem eſt ac Latinorum *Nubicogus*, & Graecorum ΝΕΦΕΛΕΓΕΡΕΤΑ ΖΕΥΣ, *nubium congregator Iupiter* , ſaepe ab Homero memoratus, a ΝΕΦΕΛΗ nube ?

XXVIII. Subditur alter *Ninctu*, a ΝΙΟΩ , *ningere*: quae cognomina minime ab ipſo aliena putanda erunt : nihil enim ſunt , niſi aeris perturbationes , quarum poteſtatem ipſi Iovi , hoc eſt medio aëris ſpatio referebant ; unde Latini *Tonantem* , & *Pluvium* dicere ſolebant .

XXIX. *Sonitu* quoque , hoc eſt *peſtrepentem* nuncuparunt noſtri Iguvini, a ΦΩΝΗ , quod Itali *ſonum* dixere . Haec vero denominatio reſpondet , ut mihi videtur , *Brontonti* , ſeu *Tonanti* .

XXX. Recurrit ſaepe ſaepius Iupiter OSTATIR, atque ANOSTATIR , quam expreſſionem nullus dubito ſignificare, & eſſe a verbo *ferire* , *feritorem* , ut novitio vocabulo utar , ad vim Tuſcae vocis exprimendam . Dicamus , ſi mavis *Hoſtatorem* , ab *hoſtire* , quod *ferire* ſignificabat , ut eſt apud Feſtum . Haud tamen facile eſt invenire huius vocis Graecam originem : ipſeque Voſſius, quanquam docte , ut ſemper , de huius vocis origine multa protulerit , haud tamen punctum tulit . Coniecturam

ram tamen aliquam de illa ſubdere non dubitavero. ΩΣΤΙΣ Graece *impulſor eſt*; unde ab Ariſtotele in Lib. de Mundo, terraemotus nuncupantur ΣΕΙΣΜΟΙ ΩΣΤΑΙ, *terrae impulſores*. Igitur ab impetu, atque irruptione, qua inimici aliena invadunt, *hoſtes* dicuntur; & victima, quae ipſis caeſis feriebatur, hoſtia dicta eſt, ut manifeſte probat Ovidius Faſtor. 1.

Hoſtibus a victis hoſtia nomen habet.

Quia vero hoſtes necantur; hinc effectu pro cauſa uſurpato, uſu invaluit, ut *hoſtire*, pro *ferire* diceretur. Vtcunque tamen ſe res habeat, atque in alterutrum ſenſum *feriendi*, ſeu *quatiendi* Tuſcam vocem trahere velimus, utique a Graeco eſt: ſi tamen in ea Latinorum STATOREM agnoſcamus, nihilominus ex eodem fonte deſcendit; nam ΣΤΑΣΙΣ, ut ait Cicero, ſtatum illum ſignificat, *in quo defenſor primum inſiſtit ad repugnandum*: quapropter Romulus, ubi Romani a Sabinis fuſi ad rebellandum conſtiterunt, aedem Iovi *Statori* ponendam cenſuit.

XXXI. ANOSTATIR nihil fere eſt, quam reduplicatio, & augmentum praecedentis attributi, adiecta particula ANA, quae *ſuper*, atque *iterum* ſignificat; quapropter OSTATIR, ANOSTATIR importat *oſtatorem*, & *ſuperoſtatorem*.

XXXII. Alterum exemplum huius formulae occurrit nobis in conſimili Iovis epitheto SIHITIR, ANSIHITIR, quod a ΣΟΤΗΡ, *Servator*, ſignificat *Servatorem*, & *Superſervatorem*, ſeu mavis *plusquam Servatorem*. Iovem hoc attributo *Servatoris* cumulatum fuiſſe, oſtendit ſaepe Pauſanias in Corinthiacis, & Laconicis.

XXXIII.

XXXIII. MARS in Tabulis Eugubinis inſcribitur ƎꝉꟼAꟽ. Eſt autem ipſum ΑΡΗΣ Graecorum, praepoſita particula *ma*, quae peculiare indicium divinitatis importat, ut in Roncalienſibus dictum eſt, & multiplici exemplo comprobatum. Quapropter Sabini MAMERTEM illum dixerunt: & Latini, traiecta per ſincopen ſillaba, *Martem*; immo ipſum *Mamers* Graecum eſt; nam Mars apud Lycophronem ΜΑΜΕΡΤΟΣ nuncupatur.

XXXIV. Non pauca quoque epitheta eidem Numini Eugubinae Tabulae attribuerunt; horum primum eſt MARTIER TVRTIA, ut in Tab. II. quod ipſiſſimum eſt ΘΟΥΡΙΟΣ ΑΡΗΣ, dictum a ΘΟΥΡΟΣ, ſeu ΘΟΥΡΙΟΣ, *Pugnax*, & *Impetuoſus*. Hoc titulo Mars donatur apud Homerum, & Ariſtophanem. Ceterum in iisdem Tabulis etiam Iupiter adpellatur TVRSITV, nec quidem incongrue; ſi Iovem agnoſcamus ſub idea Fulguratoris, aut Gigantum Expugnatoris.

XXXV. Occurrit quoque ibidem Deus NERVS, & NERE, ſeu interim feminei ſexus exſtiterit; cuius Numen eandem Martis NERIENEM eſſe ſuſpicor, quae ita Graece dicta eſt a *vi*, qua bella geruntur, atque illa comitatur; unde Veteres *Nerienem* Martis comitem commenti ſunt. Ita autem dictam volunt, quod Graecis ΝΕΥΡΑ *nervi* ſunt, per quos corpora *vim* ſuam exercent. Haec vero Dea *Nerus*, ſeu Deus *Nerus* duplici epitheto, & ipſe decoratur SIHITIR, & ANSIHITIR *Servatoris*, & *Superſervatoris*.

XXXVI. Idem Numen in praelaudatis Indigitamen-

mentis altero quoque attributo cumulatur; nam *Herus* dicitur, quod ego Latino verbo consonare nullus dubito; nam habuere *Heram Marteam*, quae, ut ait Festus: *Una ex Martis comitibus esse putabatur*.

Hanc multi ab *herili* dignitate, quasi *Dominam* dixerint, putant esse adpellatam; alii vero *ab hereditate*, quam ubi quis adeptus esset, eidem Numini sacrificium offerebat, ut ex Festo constat: quanquam non dubitem utrumque vocabulum ex eodem fonte descendisse, eo quod hereditas *herum* faceret, hoc est dominium transferret. Utcunque sit, *herum* Graecos pro *domino* aliquando usurpasse, constat ex Pausania in Arcadicis, qui eamdem Deam Cereri coniunctam, modo *Dominam*, modo *Heram* nuncupat, nisi lapsus sit Amasei Intepretis; nam Graecum textum ad manus non habeo. Si vero corruat postrema haec auctoritas, non deest altera, *Herum* esse ab EPA *Terra*, e cuius possessione quis Dominus efficiebatur.

XXXVII. Praecedenti titulo divinitatis saepe saepius NOMNE copulatur. Id attributum est a NEMΩ, *pascere*, *regere*, *distribuere*; unde NOMEUS *Pastor*, & NOMIOΣ *Pastoralis*, epitheton Apollini attributum, ut Phurnuto, & Macrobio placuit, quod Admeti pecora paverit; seu quia Sol Terram foecundet, atque homines pascat. Cicero in III. de Natur. Deor. Apollinem vocat *Nomionem*, quasi Legislatorem, a NOMOΣ *lex*, *mos*, *disciplina*.

XXXVIII. MARTI simul, & IOVI titulus *Chabiri* adsignatur, hoc est ꓶꟼꟾꟾꓶꓮꓘ: quam vocem Etru-

Etrusci a mysteriis Samotrhacum acceperunt, illamque communicarunt etiam ceteris Diis, qui in Cabirorum numero non censebantur. ΚΑΠΙΡΟΣ quidem Graecis nullam reddit ideam religionis; nec quidquam commune habet cum hac praesenti notione; nam *ignitum* significat: tamen liquido constat Cabirorum religionem, & nomen Graecis fuisse familiarem, ut liquet ex Pausania in Boeoticis, ubi multa de hisce mysteriis mentio est, ibique meminit *Cabiriae* Cereris, & Proserpinae. Mihi vero ea vox, ut dixi in Indigitamentis, ex Haebreo est; nam a גבר, *invalescere*, & *potentem esse* fit: גביר Ghebir, *Herus*, *Dominus*, & גבירה Ghebira, *Augusta*, *Domina*, *Regina*: nisi potius derivandum censeamus a כפר *expiare*; quod per haec Cabiria mysteria animae expiarentur.

XXXIX. CVRETES etiam adumbrantur in voce KVRETIES. Id nomen, & religio penitus Graeca est; nec enim aliquis reperitur ex Historicis, aut Poetis, qui Curetum memoriam non fecerit. ΚΟΥΡΕΤΕΣ graece *potentes* importat: inde Italia fere tota excepit, ut ad Senatum indicandum *Curia* diceretur, urbesque illas in quibus coetus haberentur, inde nomen acciperent, ut *Cures* Sabinorum, *Cora* in Latio, ceteraeque, quas in Dissertatione *de Nominibus Urbium* attingemus.

XL. MARS in hisce Indigitamentis FONER adpellatur, a Graeco ΦΟΝΙΟΣ *sanguinolentus*, aut *occisor* a ΦΟΝΟΣ, *caedes*. Idem Deus ab Orpheo in eius hymno nuncupatur ΑΝΔΡΟΦΟΝΟΣ: neque id attributum Graecis tantum innotuit, quin Italiam non pervaserit; etenim in Ara Aquileien-

leiensi a doctissimo Canonico Bertolo vulgata, legimus MARTI FONIONI.

XLI. Inter ceteros Deos, qui in hisce Tabulis indigitantur, numeratur etiam FOSSEI, qui meo iudicio a ΦΩΣ, *lumen* dictus est. Latini *Lucetium* dixissent: attributum, ut cetera, commune Diis cunctis, quibus lucis potentia referebatur. Quem tamen praecipue intelligerent sub hoc vocabulo, adserere non valemus. Sed facile vel ipse Sol est, vel ΦΩΣΦΟΡΟΣ, *Lucifer*, qui in Etrusci Vasis pictura quadrigam Solis praecedit; unde cognoscimus fuisse huic genti non modo cognitum, sed & ab ea cultum. Attamen cum hoc nomen cum *Pace*, & *Pauso* coniunctum semper legatur, investigandum esset an potius a ΦΟΩΣ dictum fuerit, per quod non solum *lumen*, sed etiam *salus*, & *victoria* significatur.

XLII. Numini praecedenti coniungitur PASE, quod ego ipsum *Pausum* significare arbitror. ΠΑΥΣΟΣ Graecis *cessationem* significat, quod & Latinis *Pausa*. Intellexerunt tamen sub hoc nomine praecipuum Deum Pacis comitem, seu ipsam Pacem; de quo Deo in Indigitamentis sermoerit. Attamen Religio Etrusca, *Pausum*, a *Pace*, ut infra indicabimus, videtur distinxisse.

XLIII. PACER, & PACERSEI, quae praecedentibus coniunguntur, mihi ipsam Pacem nomine significant. Haec vero nomina sunt a Graeco ΠΑΓΙΟΩ, *firmare*, & *stabilire*; unde Latinis *paciscor*, & *pactum*, & sumpto effectu pro causa, *pacare*, & *pax* facta est.

XLIV. At PACERSEI attribuit hoc amplius eidem Paci alteram notam divinitatis; nam SEI eſt a ΣΕΙΟΣ, Laconice *divinus*.

XLV. Deum FONTVM, ſeu FONTINALEM Latinorum, Tuſci dixere FONTIR, & ƎꟼƎV†HƎЯ8, a ΦΥΤΕΥΩ *producere*, & *emittere*; unde Latinis *fons*: quemadmodum apud eosdem a *ſcateo* formatur *ſcaturigo*, quae vox eandem ideam nobis refert.

XLVI. Dea RVBIGO Tuſcis eſt ƎIHIꟼƎꟼ, a ΡΟΑΣ *roratio*, cauſa ſumpta pro effectu; nam rubigo nihil aliud eſt, quam meſſium vitium ab intempeſtivo rore contractum.

XLVII. Etiam Dea SATA, quae inſcribitur A†AƧ, atque Ǝ†AƧ, ſaepe ſaepius in eisdem Tabulis invocatur. Hanc Latini a verbo *ſero* procul dubio effecerunt; nam ſegetibus praeſidere reputabant. At Latini, aeque ac Tuſci, verbum *ſero* effecerunt a Graeco ΣΠΕΙΡΩ, traiecta litera Π ad maiorem pronunciationis lenitatem.

XLVIII. FORTVNAM, ni valde fallor, dignoſcimus in Numine nuncupato ƎИMAꓘI†, cui titulus Cabyri tribuitur. Puto tamen eſſe a ΤΥΧΗ Graecorum; quanquam valde dubitem id eſſe nomen adiectivum ex ipſo ſubſtantivo ΤΥΧΗ efformatum; nam lingua ſacrorum attributa potius, quam primitiva nomina venerationis ergo adhibere ſolebat; quapropter ƎИMAꓘI†, *fortunae datorem Deum* facile indicat.

XLIX.

XLIX. ORCVS Tuſcis eſt ꓱϽAꓘV, more veterum Latinorum, qui illum VRAGVM, ut teſtatur Feſtus, dixerunt. Vox tota Graeca eſt; nam ΟΥΡΑΓΙΟΣ eſt rerum omnium finis; hinc apud Ariſtotelem in Lib. de Mundo, Caelum ΟΥΡΑΝΟΣ dictum eſt, quia ipſum ſupremarum rerum finis eſt, atque terrenis rebus conterminum.

L. Huic Deo adiungitur attributum ESONIS, ƎИVƧƎ. IO, quod facile ſignificat *quietalem*; nam apud Homerum videre eſt ΑΙΣΑ, pro *dormi*. Graecum nomen haud longe abeſt ab Etruſco; nam ipſis eſt ΑΔΗΕΣ, ſive ΑΙΔΗΣ, ut putant a verbo ΑΙΔΕΟΜΑΙ *venerari*, ſive *horrere*. Forte ac etiam ESVN Etruſcorum eſt ipſum ΑΙΣΑ *Fatum*, *Sors*, *Fortuna*; unde facile derivavit altera Tuſca vox ESAR, quae veterum Scriptorum auctoritate *Deum* ipſis ſignificabat.

LI. Occurrit in eisdem Tabulis Deus VOFIONE, cuius nomen ita ab omnibus adhuc notis abhorret, ut vix coniectura aliqua occurrat, per quam a tenebris vindicetur. Quum vero in tam ubere Deorum cenſu Bacchum praeteritum obſervarem, Deum alioquin Tuſcis familiariſſimum, ut in Theſauro Vaſculario demonſtrabimus; dubitavi an ſub eo nominis celaretur; quum forte incidi in Hymnum Orphei Baccho Sabatio inſcriptum, ubi inter cetera attributa ipſum vocat ΕΡΑΦΙΩΤΗΝ. Etiam in Anthologia carmen in eius laudem obſervatur; in quo idem titulus illi adtribuitur. De eius ſignificatione variant Grammatici: neque praeſentis inſtituti eſt, ut in illo diutius immoremur; nam haec, & ſimilia noſtris Indigitamentis pertractanda reſervantur.

Quae hactenus dicta ſunt conſtanti experimento demonſtrant Tuſcorum Numinum Helleniſmum, quem ego praemittendum curavi tanquam maniſeſtiorem; quippe quia verſatur circa nomina Deorum, quorum quidditatem indubie intelligimus. Huic argumento affinis eſſet nomenclatura victimarum, libationum, atque expiationum, quam iure merito *Lexicon Pontificale Etruſcorum* nuncuparemus: in quibus etiam vocibus Helleniſmus maniſeſte eluceſcit; ſed de his agendum erit peculiari libro, cui titulus: *Tages*, ſive *de vetere Lingua Etruſca*, in quo voces omnes ad examen revocabuntur. Multa quoque ad id propoſitum erui poterunt ex altero opuſculo *De Nominibus Urbium*, quorum multa Tuſci a Graecis mutuati ſunt.

Ut vero differentiam aliquam cognoſcamus inter utramque linguam, placuit ex pateris adhuc vulgatis, & Gemmis nomina quaedam Deorum, atque Heroum enumerare, prout a Tuſcis ſcripta ſunt, appoſita ſingulis Graeca lectione, ut facili negocio intelligamus, in quo praecipue utraque lingua diſſenſerit. Hoc vero ſtudium maximi uſus eſt; quum enim haec nomina in caſu recto habeamus, facile inde cognoſcemus quot nominum formas, ſeu modos declinandi, quaſque varias deſinentias Etruſci habuerint.

Nec modici beneficii nobis futurum erit obſervare vitia quaedam ſcripturae Tuſcae, ſyncopas, atque literarum perturbationes, quas omnino in Sculptorum imperitiam refundimus; in quo quidem niſi caute procedamus, inaniter plerumque laborabimus, & pro myſteriis habebimus, quae pura puta ſphalmata Scriptorum extiterunt: quod argumentum peculiari tractatione *de Cacographia Tuſco-*

ſcorum declarandum duximus, quam *Tageti* noſtro praefigendam curabimus. Sed age iam album Nominum proferamus. Priora Graeca ſunt. Aſteriſmo Tuſca denotantur, Latinis tamen omnia litteris expreſſa, ut una alteri ſubiecta nullo negocio mutationem oſtendat.

		TALEIA
Dempſter. Tab. I.	*	TALNA
		ATINA
Ibid.	*	TINA
		ERA
Dempſter. Tab. II.	*	ERIS
		MINERVA
Dempſter. Tab. V.	*	MENERVA
Dempſter. Tab. IV.	*	MVN RVA
Muſ. Etr. To. I. Tab. 86.	*	MEN RVA
		ETHOS
Ibidem.	*	ETHIS
		HERMES
Dempſter. Tab. III.	*	PVRM S
	*	THIONEVS
Dempſter. Ibid.	*	TINIA
		APOLLO
Dempſter. ibid.	*	APVL V
Dempſter. Tab. IV.	*	AP LV
Patera Paulini	*	APVL N

Dempſter. Tab. IV.	*	ARIS LARAN
Ibid.	*	APATVRIA TVRAN
Dempſter. Tab. V.	*	HERMES HERME
Dempſter. Tab. VII.	*	CASTOR KASTVR
Dempſter. ibid.	*	POLYDEVKES PVL T VKE
Dempſter. ibid.	*	MENELAOS MEN LE
Dempſter. ibid.	*	MELEAGROS MEL ACRE
Dempſt. Tab. 38.	*	ALCESTIS EL S E
Dempſter. Ibid.	*	EVMELVS VMALE
Dempſter. Tab. 91.	*	PELEVS PELE
Dempſt. Ibid.	*	THETIS THETIS
Dempſter. Ibid.	*	PERSIS PARSVRA

LA-

		LARANIKE
Muf.Etrufc.Tom.I.Tab.86.	*	LASA VEKV
		ODYSSEVS
Muf.Etrufc. T. 1. Tab. 198.	*	V L V X E
		ACHILLEVS
Muf. Etrufc. Ibid.	*	A C H E L E
Muf. Etrufc. Tab. 199.	*	A C H I L E
		N E L E V S
Pafferi Syntagm.Etr.Tab.19.	*	N E L E
		P E L E V S
Pafseri Ibid.	*	P E L E
		HERACLES
Dempfter. Tab. 11.	*	H E R CLE
Patera apud Montfaucon.	*	E T V L E
		THESEVS
Ibid.	*	T H E C S E
		ADRASTOS
Gemma Anfideiana.	*	A T R E S T E
		PARTHENOPAIOS
Ibid.	*	PARTHANAP.
		AMPHIARAOS
Ibidem.	*	AMPHTIARE

		T Y D E Y S
Idid.	*	T V T E V
		POLY NEICES
Ibidem	*	L N I C E
		MERCVR IVS
In Patera ap. Causeum	*	MIRQVR I OS
		ALEXANDROS
Ibid.	*	ALIXENTROM

At postremum hoc Monumentum, quamquam inverso a Latinis ordine scriptum sit, more Tusco, inter Latina tamen computarem, praecipue ob usum trinae litterae O, Q, & R, quas Tusci vel respuerunt, vel diversimode formaverunt. In postremo tamen nomine ALIXENTROM puto ultimam M inversam pro Σ, adeo ut & hoc nomen in recto constare debuerit. In his vero consuetam veterum Latinorum formam observamus, qui nomina secundae formae in recto terminabant in OS, ut MINDIOS, CONDETIOS, & alia huiuscemodi: quas formas ex antiquissimis Inscriptionibus, & Grammaticorum libris diligenter collegi in *Glossario primaevae Latinitatis*. Ceterum hae nominum corruptiones, quum ex una in aliam linguam transibant, non Etruscis modo, verum etiam antiquis Romanis in usu maxime fuerunt; quum Festi testimonio intelligamus *Addubam* pro *Danubio* dixisse; *Alumentum* pro *Laomedonte*; *Melum* pro *Nilo*. Quae quum ita sint, iam nullus miror Etruscos etiam haec peregrina nomina, quorum syllogen exhibui, non mediocriter evertisse. Cuius praecipua causa illa fuit, quod quum antiquis scriptu-

ſcriptura infrequentior eſset, & hae fabulae narratione potius, & traditione, quam uſu librorum conſtarent, ob variam pronunciandi rationem ſenſim a principio deflectebant; adeo ut cum haec ſcribi e memoria deberent, nullo praevio exemplari, monſtroſe exprimebantur; quamquam in ipſa depravata Scriptura origo Graeca clare translucat, ut vel ex iſto ſpecimine facile perſuaſum habebis, Gori Vir Clarissime. Cetera in his, quae promiſimus, Opuſculis digeſta quandoque proferemus, dum tamen, quae in praeſentia damus, a Te non improbari contingat. Vale, Amicorum Optime, atque Suaviſſime.

Scribebam Piſauri, in meo Muſeo, Kal. Quinctil. anno R. S. CIϽ. IϽ. CC. XXXXVIII.



DO-


P A R E R G O N

Q V O

MONVMENTA ANTIQVA

ETRVSCA & ROMANA

nondum edita indicantur .



MAgnopere me exhilaravit Vir Celeberrimus, Ioannes Baptiſta PASSERIVS, Amicorum omnium ſuaviſſimus, quum nuntiaret, datis ad me Epiſtolis ſuis, nuper hoc ipſo anno inventum eſſe in Agro Peruſino Hypogaeum Etruſcum, Vrnis, & Ollis cinerariis refertum, quae titulum Etruſcis litteris caelatum, ne quid dicam de alia funebri ſupellictile, praeferunt. Porro etiam ibidem effoſſas tres pateras aheneas memorabat, e quibus altera plane inſignis eſt, quae nondum Cultoribus Etruſcae Eruditionis antiquae viſam perſpectamque in pateris hiſce ſacrificalibus hiſtoriam Bellerophontis repraeſentat. Interim aiebat ſe totum Etruſcorum Peruſinorum Sepulcrum delineatum praeſtolari; dolebatque, id quod optabat, non tam cito factum, ut eius abſoluta notitia hiſce in SYMBOLIS meis praemitti poſſet.

Dum haec ſcribit, alia Epiſtola ad me data VIII. Kal. Septembres, hoc ipſo anno, certiorem me humaniſſime facit, Tudertum inter & Peru-

ſium

ſium , effoſſam fuiſſe Columellam marmoream ſepulcralem, litteris hiſce Etruſcis inſculptam:

V ᐯ A O Ꭰ A ᒧ

M Ǝ V Ǝ M Ǝ Ǝ

quam ad *Lartem* aliquem Peruſinum e gente *Emetia* , ſeu potius EPETIA , pertinere autumat .

Haec dum meditarer , V. Cl. Reginaldus Sellarius , I. C & Canonicus Cortonenſis , a me in hiſce Symbolis ob eximiam eruditionem, & humanitatem laudatus , obtulit a ſe diligenter delineatam inſignem baſim aheneam quadratam , ornatam litteris Etruſcis, ſed in altero latere diffractam, quae in Muſeo Etruſcae Academiae Cortonenſis adſervatur . Merito inſignem adpellavi ; nam eandem ipſam epigraphen ᒧIꓘↃMИI1 *Tinmcuil*, quam in planitie ſua inciſam praefert , legitur etiam in dextro crure Chimaerae Muſei Medicei Imperialis , & in ventre Gryphis ex aere, qui Cortonae in lectiſſimo ac nobiliſſimo Muſeo V. C. Equitis Galeotti Coratii ſervatur : quae monumenta iterum a me pervulgata , vide in Tom. I. mei Muſei Etruſci Tab. CLV. In medio baſis huiuſce intus vacuae, foramen parvum exſtat, quod indicat eidem olim impoſitum fuiſſe Iovis ſimulacrum; nam eius nomen deſignant litterae I √ V I , *Iuvi* ; hoc eſt *Iovi* , & reliquae И V 1 ꟼ V Ↄ , ſignum hoc forte a *Cortonenſibus* dedicatum ſubinnuunt . Tota Inſcriptio, quae nunc ſupereſt ita ſe habet ; qua nunc primum *Cortonenſium* nomen innoteſcit .

ᐊ I ɘ Ɔ M И I ᒣ

O

. . . . . A I И V : I ᐊ V I


. . . . . ᒧ . И V ㄒ ᗡ V Ɔ

Nunc pauca haec: de his alibi luculenter disferemus, & accuratius Tabulis aere incisis litteras Etruscas exhibebimus.

Frequenter ad me quoque scribens Vir doctrina, humanitate, & pietate Praestantissimus, Praesul Ioannes Bottarius, nuper misit antiquae marmoreae basis Inscriptionem, quae initio mensis Iulii proxime elapsi eruta est in Territorio Abbatiae Cryptoferratae, coronide ornata; quae plane erudito Commentario conficiendo optimam eruditionis frugem suppeditat.

C. IAVOLENO CALVINO
GEMINO KARITONI
CORNELIO POLLIONI
SQVILLAE QVVIKACIO *sic*
SCVPPIDIO VERO COS
PROCOS. PROV. BAETIC. LEG AVG
PROPR PROV. LVSITAN. LEG. LEG III
GALLIC PR CAND DIVI HADRIANI
TRIB PL CAND Q. PROV. AFRIC TRIB
III LEGVM A C X VIR STLITIB IVD

ANT.



ANT. FRANCISCI GORI

PRAEPOSITI BAPTIST. FLORENTINI

A T Q V E


IN PATRIO LYCEO HISTORIAR. PROFESSORIS

DESIGNATIO NOVI OPERIS

N E M P E

GEMMARVM ANTIQVARVM

T H E S A V R I





Vod faustum, felix, fortunatumque sit, paucis exponere volo, quae a me exornantur Volumina selectis Gemmis antiqvis eruditissimis referta, ut doctae Antiquitatis monumenta, quae mirum in modum hac nostra aetate in deliciis habentur, & excoluntur, pro viribus magis magisque illustrem, atque amplificem. Tam utile, & iucundum est hoc studium,

dium, quo, prolatis, Gemmis praeſtantium Caelatorum opificio inſcalptis, vetus Hiſtoria Mythica, Theogonica, & Heroica omnigenam eruditionem complectens, luculentiſſime illuſtrantur; ut, licet plus quas ſexcentas GEMMAS in lucem iam produxerim, adiectis meis Obſervationibus in Parte I. Inſcriptionum Antiquarum, quae in Etruriae Vrbibus exſtant, in Doniano Syntagmate, in duobus Voluminibus Muſei Florentini, & nuper etiam illuſtraverim inſignes Gemmas Muſei Veneti Zanettiani, quae in lucem brevi prodire geſtiunt; nunc tamen ad meam tenuem licet, eruditam tamen, Gazam veterum Lapillorum, qui inciſas figuras praeferunt, animum convertere ſtatui, & ſingulos octo Voluminibus in folio, Deo largiente, aereis Tabulis eleganter, & diligenter mea cura inciſos, in lucem proferre, ſi videbitur, hoc ordine.

VOLVMEN PRIMVM & SECVNDVM

In his GEMMAE ANTIQVAE ASTRIFERAE exhibentur Tabulis CLX. aere inciſis. Hanc ſelectarum Gemmarum Collectionem, quum nuper miſiſſem ad Virum Celeberrimum Ioannem Baptiſtam PASSERIVM Piſaurenſem, ſumma mihi familiaritate, atque ſimili Genio coniunctiſſimum, ut eius iudicium, atque in hoc ipſo Opere dirigendo conſilium obtinerem; ipſe illectus novitate tam elegantis, & eruditi Syntagmatis, quod nedum tentatum, ſed nec excogitatum antea novimus, intra paucos menſes Prolegomena in easdem Gemmas aſtris inſignes, & eruditas ſuas Obſervationes ad ſingulas Gemmas humaniſſime miſit. Quum ex his Gemmis quatuor eximias, & opi-

pi-

pido raras inveniſſet, adiecit in fine Epiſtolares haſce quatuor Diſſertationes, I. *De Animarum tranſvectione*. II. *De Gemma Paſtorali*. III. *De Gemmis Baſilidianis Aſtriferis*. IV. *De Gemma Aſtrifera veterum Chriſtianorum*. Praeterea, quum eidem doctiſſimo Viro propoſuiſſem, ut marmoreum Simulacrum Farneſianum illuſtraret, nempe Atlantem, qui caeleſtem globum humeris ſuſtinet, conferretque cum altero parvo Globo ſignis caeleſtibus ornato, qui ex aere exſtat in hoc Imperiali Florentino Muſeo, ipſe hanc quoque ſpartam lubentiſſime ſuſcepit. Haec duo Volumina, quanto citius fieri poterit, ſi Deus praeſto erit, ſplendide, & eleganter edita prodibunt.

VOLVMEN TERTIVM & QVARTVM

Complectentur GEMMAS ANTIQVAS, e meo Muſeo delectas, cum meis Adnotationibus, quae Tabulis ferme ducentis expreſſae erunt, & fortaſſe etiam pluribus. His addentur GEMMAE ANTIQVAE ex Schedis Ampliſſimi, & Celeberrimi Philippi BONARROTII, Senatoris, & Patricii Florentini, quas ipſe accuratiſſime delineavit, & ſedula cura praeſertim Romae ex variis Dactyliothecis vidit, & depromſit.

VOLVMEN QVINTVM

Continebit GEMMAS ANTIQVAS TORQVATAS, omnium vetuſtiſſimas, e variis Cimeliothecis, atque etiam e meis forulis depromtas, adiectis meis Obſervationibus. Torquatas adpello; quia ad extremam oram earum caelatura ornatur torque, vel ſtroppo, & prae ceteris, quum ſcarabe-

beos efforment, remotissima Scalptoriae artis tempora, & Heroica potissimum gesta illustrant.

VOLVMEN SEXTVM SEPTIMVM & OCTAVVM

Non solum Gemmas omnes antiquas, verum etiam Picturas, Signa ex aere, atque e marmore, Vrnas, Pateras, & Numismata complectentur, quae ad illustrandum divinum HOMERVM plurimum conferunt, itemque egregia Paralipomena Quincti Calabri. Non desunt vires, Deo mihi auxiliante, a quo bona cuncta procedunt: opes tantum, subsidia, ac necessarii sumtus mihi desunt. Ceterum, si quis Maecenas adiumentum praestaret, etiam cum foenore, totum hoc Opus ei dedicarem, testaretque ingenue eius praesidio, & auspiciis me tantopere profecisse: & vellem etiam totum HOMERI textum cum vetustioribus Codicibus conlatum, excusum proferre *litteris maioribus*, uti olim summa cum gloria, & plausu factum est, dum *Anthologia*, *Callimachus*, & alii optimi libri, Florentinis typis impressi, prodierunt: qui hodie omnium rarissimi sunt, & vix, aut difficillime inveniuntur. E regione Graeci textus adiiciendam curarem Latinam Interpretationem; in calce paginarum hinc a dextris Versionem Gallicam, & Anglicam, a sinistris Etruscam, sive Italicam, adpositis variantibus lectionibus. Suis locis insererentur Tabulae incisae cum Gemmis, & antiquis Monumentis, & in fine cuiuslibet libri eorumdem Explanationes, veluti Commentaria. Nunc Principes magnanimos oro, rogoque, ut mihi sponte currenti calcaria addant, & manus praebeant adiutrices.

CRI-



DISSERTATIO
CRITICA
IN VERGILIVM.



Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
Igemit, & duplicer tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: o terque, quaterque beati
Queis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
Contigit oppetere &c.



NEscio quo fato factum fuerit, ut hi versus plane divini in magnorum Virorum reprehensionem incurrerint. Accusant quidam magni nominis Interpretes Vergilium, quod Aeneam nimio plus timidum finxerit, ac terrore tempestatis exterritum induxerit flentem, adversamque fortunam misere lamentantem. Videtur ipsis abiectior animus, & spes Italia potiundi fractior, quam virum fortem deceat, & Divum monitis confirmatum. Nuper prodiit liber Galli cuiusdam non contemnendi Autoris,

qui eodem nomine Vergilium reprehendit, & graviter peccasse contendit: nihil tamen profert, quod ab aliis non fuerit animadversum, praeter obtrectationes, & probra. Ac Vergilius quidem ipse se tuetur, atque defendit, & qui illum carpunt, ipsi se iugulant, atque confodiunt: tamen nihil impedit quominus eius defendendi caussa pauca diligentius, ac perquisitius, quam a Viris doctis hactenus factum sit, conscribamus; ut animum levemus, & a severioribus studiis paulisper abducamus.

Atque ut dicam, quod sentio, fingunt sibi monstrum, quod feriant. Verba Vergilii aliorsum accipiunt, atque ipse dixerit, ut reprehendere, & carpere possint. Obiiciunt Aeneam timore pene exanimatum, se abiicientem, ac prosternentem, ac miserabiliter flentem, & eiulantem. Vergilianus tamen Aeneas nihil agit, quod in subitis, ac formidolosis casibus virum fortem dedeceat: nihil dicit, quod sit indignum homine militari, ac bellicoso: nec humilis est, & abiecta eius oratio; sed alta, & exaggerata, & plena spiritu bellicae virtutis:

Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra.

Non temere maximus Poëtarum adposuit illud verbum *extemplo*; sed ut ostenderet Aeneam in subita, atque improvisa tempestate subito fuisse repenti consternatione, atque horrore correptum. Subita fuit, & improvisa tempestas. Nam cum mari placido, & tranquillo solvissent, & laeti vela darent; precibus Iunonis seductus Aeolus repente ventos omnes immisit in mare, qui

ipsum

ipſum ab imis ſedibus convellerent. Non paulatim increbuerunt venti: non paulatim intumuit commotum, & agitatum mare; ſed ſimul ac coorta fuit tempeſtas, facta fuit omnium tempeſtatum ſaeviſſima, ac vehementiſſima. Nam, ut eleganter Poeta:

——————— *venti, velut agmina facto,*
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant;
Incubuere mari ———————

& quae ſequuntur. Quid deinceps?

Eripiunt ſubito nubes caelumque, diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra:
Intonuere poli, & crebris micat ignibus aether;
Praeſentemque viris intentant omnia mortem.

Momento temporis haec omnia fiunt; divinitus enim fuit excitata tempeſtas.

De magnitudine autem, & atrocitate tempeſtatis, nihil attinet dicere. Recte Quinctilianus Lib. VIII. Inſtit. Orat. Cap. 4.

„ Nam cum Aeolus a Iunone rogatus,
„ ——— *cavum converſa cuſpide montem*
„ *Impulit in latus: ac venti, velut agmine factò,*
„ *Qua data porta ruunt.*
„ Adparet quanta ſit futura tempeſtas.

Nec minus demonſtrat magnitudinem tempeſtatis, quod praemiſit Poëta de violentia ventorum.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, caelumque profundum
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras:
Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,
Hoc metuens, molemque, & montes inſuper altos
Impoſuit, regemque dedit &c.

Vbi tanto adparatu immenſam prope vim ventorum Poeta deſcripſit, & ad concipiendam inſolitam tempeſtatem animos praeparavit, ſubdit Aeolum ventorum regem impulſu cuſpidis omnes ventos ſimul emiſiſſe, eamque tempeſtatem deſcribit, qua atrociorem ne cogitatione quidem poſſumus comprehendere. Seneca Lib. 5. Quaeſt. Natur. Cap. 16. negat ullo modo fieri poſſe eiuſmodi tempeſtatem: *Vel ſi brevius illos complecti mavis, in unam tempeſtatem (quod fieri nullo modo poteſt) congregentur,*

Vna Eurusque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus. ———————————

Senecae impoſuit Ariſtoteles, qui Lib. II. Meteor. ait: Οὕτω δὲ τεταγμένων τῶν ἀνέμων, δῆλον ὅτι ἅμα πνεῖν τοὺς μὲν ἐναντίους οὐκ οἷόν τε· κατὰ διάμετρον γὰρ ἅτερος ἂν παύσεται ἀποβιασθείς. *Ventis ita diſpoſitis manifeſtum eſt contrarios ventos*

tes simul spirare non posse: e diametro enim opponuntur: cessabit igitur alter ab altero oppressus. Ideo Vergilius fingit hanc tempestatem divinitus excitatam; vix enim fieri potest, ut venti omnes magno impetu concurrentes, decertent. Summo etiam iudicio Poëta inducit Neptunum sedantem certamen ventorum; quia eiusmodi certamen diuturnum esse non potest, cum ne duo quidem venti contrarii diu possint vehementer concurrere: ita enim intelligendus est Aristoteles.

In tam subita, tam improvisa, tam atroci tempestate, quid agit Aeneas?

———— Solvuntur frigore membra
Ingemit, & duplicet tendens ad sidera Palmas
Talia voce refert. ————

Non concidit exanimatus, aut haesit attonitus, ut multi obtrectandi gratia fingunt; sed subito horrore perculsus est, qui nos etiam invitos invadit. Solvi frigore dicuntur membra, cum horrore perfunduntur, qualis in febre esse solet, de quo Cornelius Celsus Lib. III. Cap. 3. *Febres aliae protinus incipiunt a calore, aliae ab horrore. Frigus voco, ubi extremae partes membrorum inalgescunt: horrorem, ubi totum corpus intremit.* Observa plus esse in horrore, quam in frigore. Hic horror, hoc frigus in subitis casibus naturale est, nec dedecet sapientem, cum non sit in nostra potestate, dum ne sit diuturnum, & animum non obruat. Vergilius Lib. II. Aen. v. 159.

At me tum primum ſaevus circumſtetit horror ;
Obſtupui . ————————
Quid tum ?

———————— *Subiit cari genitoris imago* .

Fuit hic naturae motus minime voluntarius : non concidit animus malo externatus ; ſed ad pietatem ſubito caſu eſt incitatus .

In iiI. Aeneid. verſ. 29.

———————————— *mihi frigidus horror,*

Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Non tamen ab incoepto deſiſtit , ſed ſtatim :

Rurſus & alterius lentum convellere vimen
Inſequor ————————————

In vi. Aeneid. verſ. 710.

Horreſcit viſu ſubito , cauſſaſque requirit
Inſcius Aeneas ————————————

Horror non Aeneae animum deiecit ; ſed virtuti fuit incitamento , & impulit ad inveſtigandas cauſas latentes , & conſequendam ſcientiam eorum , quae ignorabat . Similis fuit horror , qui perfudit , ac ſolvit Aeneae membra in repentina , ſaevaque tempeſtate ; non enim deiecit Aeneam de ſtatu ſuo , ſed erexit ad fortitudinem animum, & excitavit deſiderium glorioſae mortis , & profun-

fundeudi vitam pro patria, cum fortissimis hostibu manus conserendo. Idcirco autem post horrorem ingemuit: nempe ut reprimeret illum naturae motum, & animum intenderet ad fortitudinem, & bellicam virtutem. Eleganter ac praeclare ad rem nostram M. Tullius in 2. Tuscul. *Ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque raro: eiulatus ne quidem mulieri. Nec vero umquam ne ingemiscit quidem vir fortis, ac sapiens, nisi forte, ut se intendat ad firmitatem: ut in stadio cursores exclamant quammaxime possunt: faciunt idem, cum exercentur athletae; pugiles vero etiam cum feriunt adversarium in iactandis caestibus ingemiscunt, non quod doleant, animove succumbant; sed quia in profundanda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior*. Et infra: *Si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur: sin erit ille gemitus lamentabilis, si imbecillus, si abiectus, si flebilis ei, qui si dederit; vix eum virum dixerim*. Idcirco sapienter Vergilius inducit Aeneam statim post gemitum, flagrantem desiderio mortis gloriosae, & commemorantem eos, qui ad Troiam fortiter ceciderunt; ut ostendat gemitum illum non fuisse abiectum, ac flebilem; sed emissum ad excitandum animum, & intendendum ad firmitatem, & contemtum mortis non indignae viro forti, ac bellicoso. Sed de hoc alias uberius.

Nunc evellendus est ex animis error, quem laudatus Autor insinuare conatur. Errant enim probe, qui putant *ingemere*, significare *flere*, *lacrymari*, *plorare*. An enim flent, & lacrymantur boves, cum arant? Et tamen Vergil. Lib. 1. Georg.

Depresso incipiat iam tum mihi Taurus aratro
Ingemere ——————————

An flent rustici, cum arant? Et tamen Tacitus de morib. German.

Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris.

Et Lucretius Lib. v.

—————— *valido consueta bidenti*
Ingemere. ——————————

Ovid. IV. Metamorph.

Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbor.

Curt. Lib. IX. *Ergo primo fremitus sua sponte; deinde gemitus quoque oritur: paulatimque liberius dolor erigi coepit, manantibus lacrymis.*

Statius in Thebaid. Lib. VI.

Non secus ingentes artus praecelsus Agyleus
Sponte premit, parvumque gemens duplicatur in hostem.

Est igitur gemitus ille conatus vocis ac spiritus, quem edit grave aliquid patiens contra vim doloris, aut mortis, aut alicuius periculi imminentis. Gellius Lib. XII. Cap. v. de Stoico quodam acerbis doloribus conflictato. *Nullos eiulatus, nullas complorationes, ne ullas quidem voces indecoras edebat.* Deinde subdit: *Si tanta doloris acerbitas*

est,

est, ut contra voluntatem, contra iudicium animi nitatur, invitum hominem cogat ad gemendum. Non eiulabat, non plorabat, non indecoras voces edebat Stoicus ille: gemebat tamen, & quidem invitus: gemitum enim vel ab invito ac reluctante morbi acerbitas exprimebat. Et multo post, *Itaque vidistis Philosophum ratione decreti sui nixum cum petulantia morbi, dolorisque exultantia colluctantem, nihil cedentem, nihil confitentem: neque (ut plerique dolentes solent) eiulantem, atque lamentantem, ac miserum sese, & infelicem adpellantem: sed acres tantum anhelitus, & robustos gemitus edentem, signa, atque indicia non victi, neque oppressi a dolore, sed vincere eum, atque opprimere enitentis.* Cicero in 2. Tusc. *Inde pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Et in Somn. Scipion. *Hic cum exclamasset Laelius, ingemuissentque caeteri vehementius.* Imo ingemere multo minus est, quam exclamare. Cicero in Tuscul. 2. *Quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem* (1).

Hic autem opportune notandus est error laudati Auctoris: qui tot laudibus extollit Heroas Homericos, tot conviciis proscindit Vergilianum Aeneam, ignorans Aeneam Vergilianum ab. Homerico Vlisse ea omnia didicisse, & ab ipso querelas fuisse mutuatum. Homerus Vlys-

(1) Vide etiam Ciceronem in 2. Tuscul. pag. mihi 196. D. *Ipsum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem.* Deinde allegat versus Sophoclis. Idem Cicero ibidem pag. 201. A. *Sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria.* Vide Gellium Lib. XII Cap. 5 Senecam Epist. XIV & CVII. Lipsium Manud. Stoic. Lib. III. Cap. VII. & ibidem de *primis motibus*.

Vlyssem, quem Graecorum omnium prudentissimum, ac sapientissimum finxit, in simili tempestate timentem, atque ingemiscentem describit:

Καὶ τοτ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ
Ὀχθήσας δ' ἄρα εἶπε πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμὸν
Ὤμοι ἐγὼ δειλός.

Non solum autem soluta sunt timore Vlyssis membra, quemadmodum Aeneae Vergiliani; sed etiam vocat se miserum. *Heu me miserum!* quod haud scio an animo, & viro magnanimo; ut eum vocat Homerus, satis conveniat. Certe Aeneas Vergilianus se miserum esse non dixit; sed solum captus est desiderio gloriosae mortis, & ingemuit, ut se excitaret, & intenderet ad fortitudinem, & patriae charitatem.

Iam vero quid caussae sit, cur extemplo horreat, & ingemiscat Aeneas, expendendum est. Caussae potissimae tres sunt, quod moreretur inglorius; quod longe a patria terra; quod in mari vi tempestatis absorptus.

Quoad primam caussam attinet, viri militares, nihil magis horrent, quam ingloriam mortem; nihil magis concupiscunt quam gloriosam mortem in bello. *Sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria*, ut ait Cicero. Recte Aristoteles Lib. III. Ethic. cap 9. ait. Quod vir fortis non in omni mortis genere cernitur, ut si naufragio pereat, vel morbis consumatur; quia aegre fert huiusmudi mortem. Appetit enim eam mortem in qua aut viribus opus est, aut mori glorio-

sum

ſum eſt. Appetit mortem pulcherrimam, cuiuſmodi eſt illa, quae oppetitur in bello. In hanc Ariſtotelis ſententiam Vergilius induxit Aeneam horrentem mortem obſcuram, & ignobilem, & invidentem fortunae eorum, qui pro patria ſub moenibus Troiae fortiter obierunt. Eſt hoc proprium viri fortis, ac militaris: nec poterat Vergilius virum fortem, ac militarem ad eximiam fortitudinis formam luculentius exprimere. Alexander Magnus, quo nemo fuit umquam vel in fortitudine, vel in militari gloria excellentior, cum in Cydnum fluvium lavandi cauſa deſcendiſſet, morbumque contraxiſſet, apud Curtium queritur ignobili, atque obſcura morte in tabernaculo ſe interire. Alter Alexander Severus, & ipſe fortiſſimus, cum a Mathematicis audiſſet, ſe gladio barbarico periturum, laetatus eſt cum crederet ſibi bellicam, & imperatoriam mortem imminere; tantumque animi habuit, ut putaret ſe Diis comparandum, ſi in bello obiiſſet. Hippomedon apud Stat. Lib. VI. Thebaid.

—— fluvio ne (pudet) Mars improbe coges
Hanc animam, ſegneſque lacus, & ſtagna ſubibo,
Ceu pecoris cuſtos, ſubito torrentis iniqui
Interceptus aquis? ideo ne occumbere ferro
Non merui?

Vlyſſes apud Homerum Odyſſ. Lib. V.

Τρὶς μακάρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις, οἵτοτ' ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρέιῃ χάριν Ἀτρέιδῃσι φέροντες

Καὶ

Καὶ δὴ ἔγωγ' ὄφελον θανέιν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν
Ἤματι τῷ ὅτε μοι πλεῖστοι χαλκήρεα δοῦρα
Τρῶες ἐπέρρειψαν περὶ Πελήωνι θανόντι
Τῷ κ' ἔλαχον κτερέων, καὶ μὲν κλέος ἦγον Ἀχαιοὶ
Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.

Interdum enim terrorem, quem non incutit ipſa mors, adiuncta mortis incutiunt. Narrat ex Plutarcho Gellius Lib. xv. Cap. 10. olim Virgines Mileſias ſine ulla cauſſa mortem ſibi conſciviſſe, & plurimas ſuſpendio vitam amiſiſſe. Id cum accideret in dies crebrius, neque animis earum mori perſeverantium medicina adhiberi quiret, decreviſſe Mileſios, ut virgines, quae corporibus ſuſpenſis demortuae forent, ut eae omnes nudae cum eodem laqueo, quo eſſent praevinctae, efferentur. Poſt id decretum virgines voluntariam mortem non petiſſe pudore ſolo deterritas tam inhoneſti funeris. Deſiderabant illae mortem: mortem tamen inverecundam pertimeſcebant: & quas non exterruit mortis metus, pudor continuit. Deſiderant mortem viri fortes, ſed mortem glorioſam, mortem militari virtute partam: horrent autem mortem obſcuram inertem.



MO-

MONVMENTA
MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA

E X

TABVLARIIS
AQVILEIENSIBVS

DEPROMTA

Ludovici II. Imperatoris Praeceptum pro Monaſterio Sancti Michaëlis in Diliano anno 852. ex autographo Aquileienſi.

„ IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei „ aeterni . Hludovicus gratia Dei Impera- „ tor Auguſtus invictiſſimi Domni Imp. Hlo- „ tharii filius . Si enim ea , quae ad Dei cultú „ pertinere noſcuntur eius amore ampliamus . cre- „ dimus in hoc nobis divinam conciliari ſuble- „ vationem . Igitur cunctorum Fidelium Sanctae „ Dei Eccleſie noſtrorumque preſentium ſcilicet „ & futurorum noverit ſagacitas quia vir vene- „ rabilis Felmo Abba noſtre mageſtati innotuit „ eo quod divina inſpiratione tactus ex ſuis pro- „ priis rebus facultatibuſque in loco Diliano ad „ laudem nominis Dei ſub honore Archangeli Dei „ Michaelis quodám conſtruxiſſet Cenobium & ad „ perpetuae concinendo laudes Dei congregatio- „ nem inſtituit Monachorum . inſtituens per ſuc- „ ceſſiones temporum electione ibidem Deo fa- „ mulantium . & ſe reſtitui Abbatem & pro fu- „ tura quietudine tantum defenſionem publicam „ habiturum . Quapropter petiit ut circa eun- „ dem ſanctum locum hoc noſtrum fieri iube- „ remus Praeceptum per quod ſub noſtra emu- „ nitate ac pleniſſima defenſione perennis conſi- „ ſteret temporibus . & eluſis omnibus inquietu- „ dinibus aut moleſtiis vel quibuſcumque perce- „ ptionibus -- Praecipientes ergo iubemus ut nul- „ lus iudex publicus neque quislibet ex iudicia- „ ria poteſtate in Eccleſias domos vel . . . . as „ eiusdem ſancti loci ingredi audeat aut quip-

„ piam

„ piam districtionis vel inquietudinis qualiscumque
„ persona inferre praesumat sed sub nostra ple-
„ nissima aemunitate perennis consistat temporibus &
„ hoc etiam pro futura quietudine concedimus ut
„ nulla ordinatione aut superimpositione quoquam
„ tempore vel si Abbas ab hac luce discesserit nulla
„ electione inibi Episcopus civitatis facere audeat
„ sed salva caritate conloquium & consecrationem
„ vel divinum officium inibi secundum eorum con-
„ sensum agat. Quod si rector eiusdem sancti
„ loci divina vocatione delatus fuerit licentiá
„ habeant inter se eligendi Abbatem qui eis se-
„ cundum regulam praeesse & secundum Deum
„ prodesse possit. Nam si inibi talis minime re-
„ periri pot . . . x aliis cenobiis concedimus eis
„ tales eligere qui eis secundum Deum praeesse
„ & prodesse possit. Vt quoque hoc nostrum
„ preceptum plenius in Dei nomine habeat va-
„ letudinem & ab omnibus diligentius . . . . etur
„ veriusque credatur de anulo nostro subter ius-
„ simus sigillari

Signum Dom [monogram] ni Impris

Rainus notarius Domni Impris ad vicem Dru-
ctemiri recognovi & s (L. S.)

Data xv. Kal. Decembr. anno Xpo propitio Do-
mni Hlotharii pii Imperatoris xxxiii & Hlu-
dovvici gloriosissimi Augusti in Italia III. Indict. I.
actú Papiae civit. palacio regio T in Dei nom.
lw lw A D-

ADNOTATIONES
IN IDEM PRAECEPTVM
LVDOVICI II. IMPERATORIS.

PRaecepti huius autographum adſervatur in Tabulario Canonicorum Aquileienſium. Quidam olim in exteriori parte membranae annotavit, pertinere ad Monaſterium Belliniense, cuius frequens mentio occurrit in Eccleſiae Aquileienſis Monumentis, non ita pridem illuſtratis a Viro Clariſſimo Bernardo Maria de Rubeis, Ordinis Praedicatorum. Sed inſcriptionis errorem, cum emendavit ſua manu Iuſtus Fontaninus, dein Archiepiſcopus Ancyranus; tum facile mihi fuit deprehendere ex ipſius Praecepti ſerie: diu tamen anceps haeſi, ubinam gentium ſitum fuerit Coenobium iſtud Sancti Michaëlis in Diliano. Tandem luſtranti mihi Antiquitates Italicas medii aevi, ingentem ſcilicet Chartarum veterum collectionem, qua literariam Rempublicam ditavit optime de ea meritus Muratorius, ſeſe obtulit (1) Ludovici II. Diploma, quo Monaſterium Sancti Michaëlis *in Viliana*, a *Selmone* Abbate fundatum, quibusdam immunitatibus exornat, anno DCCCLVII. ſtatim agnovi de uno eodemque Monaſterio agi in utroque Ludovici Praecepto: ex illo ſiquidem, quod Muratorius edidit, conſtat Selmonem Abbatem ſuo cenſu erexiſſe Monaſterium Sancti Michaëlis; quibus gemina legere eſt in hoc etiam, quod ex Archivo noſtro depromimus. Praeterea Ludovicus Imperator apud Muratorium affirmat ſe iam olim recepiſſe ſacrum lo-

(1) Diſſert. LXIII. Tom. V. Pag. 279.

locum ſub ſuo *mundeburdo*, ſeu protectione. Atqui in hoc maxime verſatur Diploma noſtrum Muratoriano antiquius, atque ab eodem Auguſto conceſſum. Tanti igitur non eſt leviſſima varietas, quae his invicem collatis apparet, ut duo Monaſteria, alterum in *Diliano*, in *Viliana* alterum, illiuſque Abbatem *Felmonem*, huius vero *Selmonem* adſtruere opus ſit. Regionem diſcimus ex illis recentioris Praecepti verbis, ubi nominatur *Epiſcopus ipſius Civitatis*, ideſt *Carentinae*; quae gloſſa in noſtro deeſt. Quaerit Muratorius, an Coenobium hoc Carinthianum, ſubiectum olim fuerit Brixiano Parthenoni Sanctae Iuliae: in huius enim Tabulario editi a ſe Diplomatis autographum exſtare teſtatur. Eccleſiae Aquileienſis iura in Carinthiae partem ſatis certa ſunt. Conſule Monumenta laudata Cap. XLV. & Vitam Sancti Paulini Patriarchae (1) a Ioanne Franciſco Madriſio, Sacerdote Oratorii Vtinenſis adornatam Cap. VIII. in ſecundo Scrinio Theſauri Aquileienſis (cuius Indicem locupletiſſimum texuit Odoricus Vtinenſis iuſſu Marquardi Patriarchae) ſervabantur olim iura, & proceſſus auctoritate Apoſtolica facti *contra haeredes Ducis Karinthiae*. Sed haec atque alia non pauca huiuſmodi acta, quorum ſummam exhibet Odoricus, ſpectant ad ſequiorem aetatem; nec ullibi, quanquam de aliis non ſilet, recenſet hoc Monaſterium in Diliano. Rem igitur denſis adeo tenebris circumſeptam dimittere praeſtat, donec alia monumenta emergant, quorum ope & Coenobii huius fata, & Carentinae civitatis ſitum liceat agnoſcere. Prima huius Diplomatis linea exarata eſt litteris oblongis, quarum

(1) Vid Sancti Paulini Opera &c. edita Venetiis ex Typographia Pitteriana 1737.

rum ſpecimen videri poteſt apud Mabillonium Lib. v. de Re Diplomatica, Tab. XXVIII. literae vero minutiores, quibus pars reliqua conſcripta eſt, maxime accedunt ad typum Tabulae XXXII.

(*Invictiſſimi*) Lib. II. Cap. IV. num. IV. laudati Operis indicantur ſex Ludovici II. Praecepta cum hoc initio: *In Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti*. Dubitat vero artis Diplomaticae Conditor, an formula haec, *Invictiſſimi*, quo titulo exornatur Lotharius in Diplomatis Ludovici apud Vghellum Tom. IV. Italiae Sacrae, ſit ex additione amanuenſium, qui exempla ex autographis tranſcripſerunt. Noſtrum hoc omne ſcrupulum eximere poteſt, fidemque conciliare chartis Vghellianis. Hoc elogio patrem exornat Ludovicus apud Muratorium in Diplomate (1), quo Eccleſiae cuidam in Comitatus Cremonenſis privilegia confirmat, in altero (2) conceſſo Dodoni Epiſcopo Novarienſi; in tertio demum (3), cuius archetypum ſe vidiſſe Vir doctus teſtatur in Archivo Capituli Patavini.

(*Mageſtati*) Reges Francorum primae ac ſecundae ſtirpis uti conſueviſſe *Celſitudinis*, *Serenitatis*, *Altitudinis*, *Sublimitatis*, *Excellentiae*, *Pietatis*, *Manſuetudinis*, aliiſque id genus nominibus, obſervat Mabillonius Lib. II. Cap. VI. num. V. & colligitur ex Monumentis allatis Lib. VI. Monumenta in Antiquitatibus Italicis edita alios produnt titulos, *Clementiae*, *Dominationis*, *Magni-*

G 2

(1) V. Antiq. Ital. Diſſ. XXIX. Tom. II. pag. 867.
(2) V. Diſſ. XVIII. Tom. I. pag. 926.
(3) Diſſ. XIX. Tom. II. pag. 55. V. alterum eiusdem Auguſti Diploma pro iuribus Cremon. Epiſcopatus, ibid. pag 25..

gnitudinis, *Perſpicuitatis*, *Regalitatis*. Qui hunc ſibi *Maieſtatis* titulum tribuat, inter Carolingos Principes vix reperire eſt. Eo tamen utitur Ludovicus noſter in Diplomate, quo (1) Angilbergae coniugis precibus inductus confirmat commutationes ab ea factas pro fundando Monaſterio Placentino Sancti Sixti. Vtuntur praeterea Lotharius Rex Lotharingiae (2), & Ludovicus Imperator huius nominis Tertius (3). Quin & Ioannes VIII. Carolum Craſſum, Ludovici noſtri fratrem, atque in Imperio ſucceſſorem, hoc eodem titulo exornat Epiſtola VIII.

(*Emunitate*, mox *aemunitate*) Prioris ſcripturae exempla obvia ſunt vetera Monumenta luſtrantibus. Indicare ſatis erit Murculfum Lib. I. Formula tertia: Diploma Caroli M. apud Mabillonium Lib. VI. Rei Diplom. num. LIII. Epiſtolam Wicardi Abbatis ad Frotharium Tullenſem Epiſcopum, cuius locus laudatur Operis citati Lib. I. Cap. VII. num. V. Privilegium Ludovici Imper. forte II. (4) conceſſum Monaſterio Sancti Galli. Altera ſcribendi ratio illuſtrari poteſt obſervatione petita ex Lib. II. de Re Diplom. Cap. I. num. XI. ubi Vir ſummus docet Notarios ſub utraque ſtirpe Francorum Principum frequentius ſcribere *Aecclesia* cum diphthongo, duabus vocalibus *a*, *e*, ſolutis. Huic mori, ut erat ſedulus antiquitatis inveſtigator, indulſit Iacobus Gordinus Canonicus, & Archidiaconus Aquileienſis ſaeculo XV. ad finem vergente, cum

in

(1) V. Antiq. Ital. Diſſ. XXVI. Tom. II. pag. 453.
(2) Diſſ. LXXI. Tom. VI. pag. 31.
(3) Diſſ. XIV. Tom. I. pag. 785.
(4) V. Murator. Diſſ. LXX. Tom. V. pag. 951.

in Inſcriptione, quam refert (1) Ioannes Dominicus Bertoli, eiusdem Eccleſiae Canonicus, in quo humanitas, & eruditio perinde eminent; tum in Epiſtola gratulatoria ad Hermolaum Barbarum, quam Gordini manu ſcriptam vidi.

(*Domos*, *vel* . . . *as*) Membranâ heic mutila. An legendum *familias*? Id ſuſpicari licet ex lege promulgata a Ludovico II. in Comitiis Ticinenſibus (2), quae his verbis concepta eſt „ Statuimus autem, ut Eccleſiae Dei per totius Regni „ noſtri fundatae terminos, ſub noſtrae Immunitatis tuitione ſecurae cum rebus, & *familiis* „ permaneant. „

(*De anulo noſtro*) Rara videtur haec formula in Ludovici Diplomatis, qui, uti vir ſaepius laudatus Benedictinus obſervat (3), *Bullae* vocabulum uſurpare ſolet: *ex Bulla noſtra iuſſimus annotari* -- *noſtrae Bullae impreſſione* -- *Bullis noſtris roborari*. Sed non infrequens *annuli* mentio habetur in Muratoriana Collectione (4). Hoc praeterea differt Diploma noſtrum ab illis, quae eidem Auguſto tribuit Chronicon Caſaurienſe, quod nullis in eo diris multiſve pecuniariis absterreantur violatores immunitatis Coenobio conceſſae. Differt etiam a pleriſque inter Antiquitates Italicas relatis, atque ab altero, quod ad idem coenobium ſpectare diximus. Quare nulla hinc certa artis Diplomaticae regula peti poteſt. Vide Mabillonium Lib. II. Cap. VIII. num. XX

G 3 (*Dru-*

(1) Antiquit. Aquil. num. DXXV. pag. 359.
(2) V. Rer. Ital Script. Tom. I Par. II. pag. 158.
(3) De Re Diplomat. Lib. II. Cap. 10 num. VI.
(4) V Diſſ. XVII. Tom. I. pag. 928. & 936. & Diſſ. XIX. Tom. II. pag. 26. & 56. & Diſſ. XXIX. pag. 868.

(*Druċtemiri*) Druċtemirus Subdiaconus (1) *Protonotarius* (lege *atque Notarius*) ad vicem Egilmari ſubſcribit Diplomati Lotharii Imperatoris. Hic fortaſſis eſt noſter Druċtemirus, cuius dignitate auċti vices gerit Rainus, ex illa Scribarum claſſe, qui vice Cancellariorum ſubſcribebant. In Placito Ludovici II. (2) memoratur, *Traċterimus ſacri Palatii Archinotarius*; proculdubio ex Scriptoris vitio, qui eundem mox adpellat *Traċtemirum*. Optime tandem nomen exprimitur: *Druċtemirus Archinotarius interfui, & ſubſcripſi*. Habemus heic noſtrum Druċtemirum Archinotarii, ſeu, quod idem eſt, Cancellarii munere inſignitum; quemadmodum in quodam Lotharii Praecepto, (3) Hilduinus Abbas, qui eius Cancellarius fuit, Archinotarius adpellatur. Perperam apud Vghellum (4) *Drucſemirus* legitur.

(*Recognovi & ſ*) Mabillonius Lib. II. Cap. XXI. num. XIV. monet Notarios ſub prima, & ſecunda ſtirpe Francica ita ſubſcribere ſolere, ut nominibus ſupponant ſuis quaedam ſigna variis tricis convoluta ad ſimilitudinem litterae *S*, diverſimode contortae; atque his ſignis verbum *ſubſcripſi* intelligendum eſſe. Huiuſmodi tricarum veſtigia plura adparent in noſtra membrana; ſed non ſuppoſita nominibus, aſt continenter adpoſita ſunt ſigillum, quod ad extremam oram membranae adfixum erat, ubi ſcriptura deſinit, deperditum eſt. Locum indigitare placuit his notis L. S. (*Da-*

(1) V. Mabillon Lib. II. De Re Diplomat. Cap XI. num. IX.
(2) Operis laudati Lib VI. num. XCIII.
(3) Ibid Lib II. Cap. XI. num. V.
(4) Ital. Sac. Tom. V. pag. 39. 40. & 41. nov. edit.

(*Data*) Indictione prima xv. Kal. Decembres, ad finem properabat annus Aerae vulgaris DCCCLII. ad quem proinde nostrum Diploma referendum est. Decernere non ausim, an designetur annus Lotharii XXXII. vel XXXIII. quod membrana hoc loco attrita sit: quanquam fugientem postremam unitatis notam post iteratam sedulo collationem mihi deprehendisse videar. Pluribus epochis, ut Eruditi observant, Lotharius utitur. Ex his una (1) initium sumit ab anno 822. cum ipse a Ludovico patre in Conventu Akiniacensi, quem mense Augusto celebratum produnt Scriptores, in Italiam missus fuit, ut regii muneris partes obiret. Huic congruit Diploma nostrum, si priori modo legas; anno enim 852. post mensem Augustum decurrebat annus XXXII. ex quo Lotharius in Italiam ingressus est. Quod si, ut videtur, unitas addenda sit, iam constat repeti Imperii initium ab anno 821. praecedenti, quo in Noviomagensi Conventu Kal. Maii consors paterni imperii fuit confirmatus. Atque hanc epocham sequitur Diploma ex Archivo Cremonensi a Muratorio descriptum (2) has notas habens: *Data* VIII. *Kalend. Martias anno Hlotharii* XXXIII. & *Hludovici gloriosissimi Augusti in Italia* III. *Indict.* XV. Quibus haec subdit Vir doctissimus: „ Egregie signatam heic vides Epocham imperii Ludovici II. uti & Lotharii Augusti eius patris; „ atque ex his habes, unde Cardinalis Baronii „ Chronologiam emendes.

(1) V. Monum. Eccl. Aquil. Cap. XLVI. num. 4. & Murator. Annal Ital. ad h. a. Tom IV. pag. 520.
(2) Diss. XXIX. Tom. II. pag. 868.

Annum tertium Ludovici, qui notatur in nostro Diplomate, computari existimo ab anno 850. quo, ut Annales Bertiniani produnt, *a Leone Papa IV. honorifice susceptus, & in Imperatorem unctus est*. Vide Mabillonium Lib. v. in explicatione Tab. XLVII. Ad finem itaque vergebat xv. Kal. Decembris annus Coronae Augustalis, qua die secunda huius mensis donatus fuit, ut colligit Pagius ex Monumentis Chronici Casauriensis. Sed cum Annalium Italicorum Conditor (1) dubitet de hac Pagii coniectura, doctiorum iudicio quaestionem hanc dirimendam lubens dimittam. Liceat solum mihi addere, Virum magnum (2) infirmo argumento uti adversus Diploma a Campio adlatum (quod tamen aliis vitiis laborare recte contendit) dum negat Ludovicum II. anno 851. & sequenti semper in Apulia, & Calabria versatum esse; nec eo tempore Diploma firmare potuisse in Vrbe Placentiae. Eundem anno 852. mense Novembri Papiae fuisse testatur Praeceptum, quod in lucem prodimus. Verum & idem Muratorius alibi (3) hoc biennio Ludovicum Mantuae, Papiae, Ravennae, diversarum esse refert; ut nulla hinc falsitatis suspicio adversus hoc Diploma moveri possit. Postrema signa post illa verba, *In Dei Nomine*, facile designant clausulam frequentissimam, *feliciter. Amen*.

MO-

(1) Tom. v. pag. 31.
(2) Diss. XXVI. Tom. II. pag. 455.
(3) Annal. Ital. pag. 34. & 36. Antiq. Ital. Tom. II. pag. 868.

MONVMENTVM II.

BVLLA EVGENII PAPAE IV.

EVGENIVS *Episcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus Zagabrien. & Linden. Episcopis . . . . Monasterii Beate Marie in Obnruburg & Plebano Plebis S. Petri in Rodmondorff Aquileiensis Diecesis salutem & Aplicam Benedictionem .*

QVoniam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam extra quam nemo salvari aut acceptum Deo Sacrificium offerre potest cuius Romanus Pontifex Dei in terris Vicarius celestis successor Clavigeri caput est cui ab eodem Deo ligandi & solvendi precipue collata est potestas necesse est ad eternam salutem quenlibet Catholicum Christi Fidelem cum omni devotione & reverentia firmiter profiteri & salubriter ipsius Vicarii veluti Dei mandatis humiliter intendere & parere. Dudum siquidem per nos accepto quod Ecclesia Aquilegien. per obitum bone memorie Ludovici qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit Pastoris esset solatio destituta. Nos tunc prcut ex Apostolatus tenemur officio ne Ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incomodis ad provisionem ipsius celerem & felicem de qua nullus preter Nos ea vice se intromittere potuerat seu poterat. paternis & sollicitis studiis intendentes ac eiusdem Ecclesie de persona utili ac etiam fructuosa per quam circum-

cum-

cumſpecte regi & feliciter gubernari poſſet providere cupientes. poſt deliberaticnem quam de preficiendo eidem Ecclefie perſonam idoneam & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem. demum ad Venerabilem Fratrem noſtrum Ludovicum tunc Archiepiſcopum Florentinum & Cubicularium Noſtrum a vinculo quo eidem Ecclefie Florentine cui tunc preerat tenebatur. de Fratrum noſtrorum conſilio ac Apoſtolice poteſtatis plenitudine abſolventes vita & ſcientia decorum in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum aliiſque multiplicium virtutum donis inſignitum & Nobis in arduis noſtris & Romane Ecclefie negotiis etiam familiari experientia notum direximus oculos noſtre mentis quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona ſua Nobis & eisdem Fratribus noſtris ob dictorum exigentiam meritorum ſuorum accepto de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio eidem Ecclefie Aquilegienſi providimus ipſumque illi in Patriarcham prefecimus & Paſtorem curam regimen & adminiſtrationem ipſius Ecclefie Aquilegienſis ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. ſperantes & illo ſine quo totum eſt inane quod geritur confidentes quod per ſue circumſpectionis regimen providum Ecclefie Aquilegien. prefate gubernatori circumſpecto gauderet ſe commiſſam ac etiam in ſpiritualibus & temporalibus votivis ſemper proficeret incrementis prout in noſtris ſuper inde confectis litteris plenius continetur & deinde fide dignum relatione non ſine magna cordis noſtri diſplicentia ad aures noſtras pervenit quod Venerabiles Fratres noſtri Laurentius Lavoten. & Martinus Pettinenſis Epiſcopi qui ſe gerit pro Vicario dicti Laurentii in Patriar-

triarchatu Aquilegiensi pacis & tranquillitatis inimico instigante Dei timore proposito ac suorum proprie salutis immemores contra provisionem nostram huiusmodi cum suis in hac parte complicibus & adherentibus vigore nonnullarum pretensarum litterarum per illos qui in Basilea sub nomine Generalis Concilii de facto congregati sunt emanatarum hostiliter & inique cum nobis omnium talium Ecclesiarum cura ab ipso Deo commissa sit & inimicos Sancte Romane Ecclesie ac omnium Christi Fidelium se ostendentes provisionisque huiusmodi de persona utique fructuosa & idonea facte se opponentes ac Ecclesiam Aquileiensem predictam anhelantes ipsamque nec non terras castra oppida villas locaque & bona ad dictam Ecclesiam spectantia occupare pretendentes. Clerum Diecesis Aquilegiensis convocantes Vicarium & Officialem etiam extra terram Foroiulii & Ordines in Carniola Savonia Marchia Stiria Carinthia & Sclavonia instituerunt. licet de facto necnon gravibus processibus monitionibus & requisitionibus penalibus insolitis Clerum atque Populum turpiter subiugare & ab obedientia dicti Ludovici minis & metibus ac terroribus pellere innituntur aliaque faciunt & fieri procurant quo minus ipse Ludovicua Patriarcha iuxta provisionem nostram huiusmodi de persona sua factam possessionem Civitatis & Patrie regiminis administrationis ac bonorum pacifice assequi possit in Sedis Apostolice & provisionis nostre contemtum destructionem divisionem é confusionem Civitatis & Patrie huiusmodi sempiternas malum exemplum omnium Christi Fidelium ac non modicum ipsius Ludovici Patriarche incommodum & gravamen. Nos igitur prout ex Apostolatus tenemur officio

ne

ne ulterius in malitia possint gloriari qui pleni sunt iniquitate tali quod eorum compescatur temeritas & pena transgressorum mandatorum Apostolicorum aliis in exemplum cedere valeat remedio opportuno indemnitati dicte Ecclesie probidere cupientes motu proprio & ex Apostolica plenitudine potestatis discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus litteras & provisionem cum omnibus vice secutis per quosqunque preterquam a Nobis concessas cassare & annullare & prout de facto nulle sunt viribus vacuare & cassas nullas & irritas nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse prout nulle sunt auctoritate Nostra declarare quas Nos tenore presentium tales declaramus & quatenus de facto processerunt illas cassare quas tenore presentium cassamus & irritamus eadem auctoritate procuretis. Et nihilominus Episcopos & quoscunque eorum complices assertorum Vicarium Archidiaconos & Officiales institutos ac alios ipsis obedientes & consentientes in hac parte etiam ac rebelles quoscunque qui eisdem Episcopis per se vel per alium seu alios in predictis ac circa ea assistunt aut aliquo premissorum contra Ludovicum Patriarcham & provisionem nostram predictam prestant aut de cetero prestabunt consilium auxilium vel favorem publice vel occulte directe vel indirecte quovis quesito colore aut eumdem Patriarcham quo minus possessionem dicte Ecclesie Aquileiensis ac omnium ad eamdem spectantium adipisci valeat impediverint cuiuscumque etiam dignitatis status gradus ordinis vel conditionis aut preminentie etiamsi Episcopalis aut alterius cuiusvis existant nisi infra sex dierum terminum a die scientiae computandorum a contradictione & rebel-

bellione huiufmodi defiftant excommunicationis fententia innodare ac eos tales publicare ac denunciare ac publicari ac denunciari facere curetis a qua a nullo nifi a Summo Pontifices preterquam in mortis articulo conftituti abfolutionis beneficium obtinere valeant. quos Nos tenore prefentium ex tunc prout ex uunc & ex nunc procul ex tunc fine quacunque alia vocatione vel declaratione dictis fententiis innodamus declaramus & denunciamus quod fi fecus factum fuerit & in furore concepto continuaverint. ipfos omnibus & fingulis Ecclefiafticis beneficiis officiis adminiftrationibus dignitatibus cum cura vel fine cura quacunque vel qualicunque fuerint etiamfi difpofitioni Apoftolice generaliter refervatis exiftant nec non ab omnibus officiis fpiritualibus vel mundanis que aut a Sede Apoftolica aut a dicta Ecclefia Aquilegienfi in feudum aut alias etiam ab ipfis Lavatenfi & Pettinenfi Epifcopis obtinent & omnibus bonis privare & amovere illorumque collationem & difpofitionem ordinationi & difpofitioni noftre refervare ac ad alia quecunque impofterum affequenda beneficia perpetuo inhabilitare & inhabiles declarare necnon gratias expectativas quorum vigore alia expectant aut pro tempore expectabunt .caffare & annullare executoribus quoque & fubexecutoribus gratiarum huiufmodi & in illis deputatis diftrictius fecundum litterarum & proceffuum exinde fequtorum formam & tenorem procedere ac circa ea neceffaria facere & exequi poffint inhibere & alia prout erit & vobis aut alteri veftrum aut quemvis alium vel alios per Nos deputandum feu deputandos expedire videritis contra tranfgreffores mandatorum huiufmodi procedere proceffus quoque & fententias decernere

nere & fulminare ac eos aggravare & regravare totiens quotiens opus fuerit. necnon Terras Civitates Caſtra Oppida Villas ceteraque loca ad que prefatos Epiſcopos Vicarium Archidiaconos & Officiales cum ſuis adherentibus faventibus & aſſiſtentibus declinare contigerit Eccleſiaſtico interdicto ſupponere ſtudeatis. invocato ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, & inſuper ut tranſgreſſores excommunicati aggravati & interdicti huiuſmodi arctius deprimantur & eorum ſubſtantia magis deleatur & pereat ut bonis ne etiam huiuſmodi perpetrare ſeu attemptare preſumant ſit in exemplum univerſis & ſingulis Eccleſiarum Prelatis per Provinciam Civiaates & Dieceſim Aquilegienſem ac alias ubilibet ad quos preſentes littere noſtre pervenerint etiamſi Iudices ſeculares fuerint omnes & ſingulos ſupradictos ubicunque reperiantur capiendi incarcerandi puniendi deponendi privandi degradandi iudicio ſeculari tradendi inſcalandi immurandi perpetuis carceribus deputandi & mancipandi & alias quaſcunque penas ſecundum quod demerita excommunicatorum privatorum gravatorum & reaggravatorum & interdictorum exegerint imponendi aliiſque perſonis quibuſcunque in hoſpitiis aut domibus in quibus victum & alia ad uſum homini qualitercunque neceſſaria queſiverint. ne eis aut alicui eorum directe vel indirecte huiuſmodi neceſſaria vendere ſeu dare aut ipſos receptare & victum & alia neceſſaria ſub penis ſententiis & cenſuris preſcriptis. quas ſi ſecus ſcienter fecerint ipſo facto volumus ſubiacere ne eis huiuſmodi neceſſaria miniſtrare preſumant. inhibentes alias contra eos procedendi eorumque bona ubicunque conſiſtentia confiſcandi & capiendi ceteraque in premiſſis & circa ea facien-

di

di dicendi gerendi ac exercendi que in premiſſis neceſſaria eſſe videbuntur ſeu ut iam opportuna etiamſi talia forent que mandatum exigerent magis ſpeciale quam preſentibus eſt expreſſum vobis omnibus & ſingulis plenam & liberam harum ſerie etiam concedimus & damus poteſtatem. Dantes & concedentes etiam omnimodam poteſtatem dictis executoribus omnes & ſingulos qui dictas ſententias & penas excommunicationis aggravationis reaggravationis ac inhabilitationis incurrerint ad omnia beneficia Eccleſiaſtica & officia ſupradicta abſolvendi & rehabilitandi iniuncta ipſis & cuilibet ipſorum pro modo culpe penitentia ſalutari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis nec felic. recordat. Bonifacii Pape VIII. predeceſſoris noſtri in illis preſertim quibus cavetur ne quis extra ſuam Civitatem ſeu Dieceſim niſi incertus exceptis caſibus & in illis ultra unam dietam a fine ſue Diecefis ad iudicium revocetur ſeu ne Iudices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem & Dieceſim in quibus Deputati fuerint quod contra quoſcunque procedere ſive alii vel aliis vices ſuas committere aut aliquem ultra duas dietas a fine Dieceſis eorumdem trahere preſumant ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis ſtatutis quoque & conſuetudinibus Civitatum & Dieceſum predictarum etiam iuramento confirmatione Apoſtolica ſeu quavi alia firmitate roboratus ceteriſque contrariis quibuſcunque. ſeu ſi Epiſcopis favoribus adherentibus & complicibus predictis vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadẽ Sede ſit indultum quod interdici ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Quod-

Quodque si non omnes iis exequendis potueritis interesse duo aut unus & quilibet vestrum ea nihilominus exequantur . salvo quod alter alterum non ezpectet nec unus pro alio se excuset . Dat. Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto decimo septimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri Anno quintodecimo

B. Roverella

Foris) De Curia

L. de Branchariis

Hic sigillum plumbeum

EVGEN
IUS P̄P̄) (S . PA . S . PE
IIII

Capita SS. Apostolorum Petri , & Pauli Cruce intermedia .

DOMINICI GEORGI

A BIBLIOTHECA
EMINENTISS. CARDINALIS IMPERIALIS
MOX

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS MAXIMI
AB INTIMO SACELLO

EXPLANATIO
ANTIQVAE INSCRIPTIONIS

IN QVA
DE LOCATORIBVS SCENICORVM
DISCEPTATVR

ACCEDIT
AVCTARIVM
ANTONI FRANCISCI GORI



D. IVLIO PIGNATTELLO
MONACHO CASINENSI
IN ABBATIA FLORENTINA
PROFESSO
AMICO OPTVMO ORNATISSIMOQVE

ANT. FRANCISCVS GORIVS
ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ



Ervulgato Herculis adhuc infantis memorando facinore, qui immiſſos Iunonis odio ſerpentes impavidus in cunis compreſſit, & interemit; tanta parentes, ac vicinas gentes ſtatim ſubiit admiratio, teſtibus antiquis mo-

numentis, & Mytographis, ut exinde intellexerint & vaticinati sint, qualia & quanta ipse facturus esset provectiore aetate, famae, & gloriae nominis flagrantissimus; orbe ab exitialibus monstris, & impiis hominibus longe lateque perpurgato: erectis Deorum aris, prisca Numinum religione restituta, compluribus aliis Heroibus ad praeclara gesta exemplo suo excitatis, favente eius virtuti Minerva; quae quidem praesagia, ut memorant, fuere longe auspicatissima. Si licet profanas Historias sacris Viris, quamvis ex ingenio, non tamen sine ratione, interdum aptare, & ad ea quae in animo concepta habemus clarius exponenda, convenienter usurpare; id ipsum de Te, Ivli Pignattelle Ornatissime, qui nondum aetatis tuae annum decimum octavum emensus es, iam praesentio, probeque intelligo, quantum postea utilitatis, honoris, splendorisque sis adlaturus Amplissimo Ordini tuo, tuae Nobilissimae ac toto orbe Clarissimae Genti; nam ea emines gloria, ut Pronepos sis Innocentii xii. Pontificis Optimi, Maximi, Sapientissimi Christiani Orbis olim Moderatoris: Parentibus

bus optimis ac pientiſſimis, germanis Fratribus amantiſſimis, denique Tibi ipſi, & optimis Praeceptoribus, quorum adſiduis curis, tam eximiam in litteris, in Philoſophicis & Geometricis facultatibus, tantamque nunc adſecutus es ſcientiam, ut tranſactis diebus nempe viiii. Kal. Iunias huius anni, magnopere miratus ſim ingenium tuum, eruditionem, eloquentiam, peritiam, igneam mentis vim, ſed pacatam & gravem, quibus armis inſtructus, uti ſuperiore elapſo anno feceras, Phyſicas, Philoſophicas, ac Geometricas Theſes egregie, & quidem non tres, ſed quinque una die, praeſentibus quinque tui Ordinis Abbatibus, pietate, prudentia, doctrina praeclariſſimis, coram frequenti Eruditorum hominum conſeſsu, ſumma omnium voluptate, & admiratione, quaſi veteranus Athleta, ſtrenue propugnaſti, & doctorum Profeſsorum difficultates, invictaque propemodum argumenta ſolemniter refelliſti, atque in omnibus perſpicue & miro ordine tuam explanaſti ſententiam. Praeterea, quum a Clariſſimo Viro D. Petro Aloyſio Gallettio, huiuſce Florentinae Abbatiae Philo-

ſophiae & Geometriae Profeſsore, Praeceptore tuo permultam in ſcrutandis Antiquitatis myſteriis, & monumentis cum priſci, tum medii aevi adeptus ſis, eo docente, peritiam & eruditionem, nulliſque additis calcaribus, ſponte tua, & ingenio maxime alacri, ad virtutis & gloriae faſtigium, Tibi minime arduum, pleno greſsu properes & feſtinato greſsu contendas; ſtatui offerre Tibi, virtutique tuae ſpectatiſſimae, tamquam meae in Te perpetuae obſervantiae, & benevolentiae teſseram, eximium hoc Opuſculum Doctiſſimi Praeſulis DOMINICI GEORGI, quem nuper defunctum laudaſse & defleviſse Sapientiſſimum BENEDICTVM XIIII. Pontificem Maximum, ſcimus, teſte Viro Eminentiſs. S. R. E. Cardinali QVIRINO; quae quidem maxima omnium laudum eſt. Id ipſum teſtari Tibi poterit omnigenam Cl. GEORGII doctrinam; nam dum ruſticaretur, paucis libris contentis, illud confecit, illudque perpaucis excuſis exemplaribus typis commiſit Autumnalibus otiis, vulgavitque apud Montemfaliſcum XVI. Kal. Novembres anno CIↃ. IↃ. CCXXVII. Hoc ipſum quoque exem-

plar

plar multa adhibita cura & diligentia iamdudum investigare, & tandem reperire mihi contigit, quo Te, tuoque nomine, quo inscriberetur, dignum censui. Statimac olim ostendi legendumque praebui Praeceptori meo doctissimo, & amantissimo Antonio Mariae Salvinio, ut erat solitus, notulas marginales nonnullas adiecit, quas nolui praeterire. Quamvis autem e profanis antiquae Eruditionis thesauris sit deprompta Disceptatio haec singularis DE LOCATORIBVS SCENICORVM; Tibi tamen non male convenit, qui abdicato saeculi fastu, Domus clarissimae & ditissimae opibus, & commodis relictis spretisque, uni Deo Regi saeculorum Immortali in Monachorum Castris servire sanxisti, & me praesente nuper professionem emisisti mira constantia, pietate, alacrique devotione; idcirco quod optime intellexisti, quae de hac Mundi Scena, eiusque vanitate divino plenus spiritu intonuit egregius Gentium Doctor Paulus, PRAETERIT FIGURA HVIVS MVNDI. Probabis, ut spero, publicum hoc mei obsequii, & plausus testimonium & Tu ipse, & Vir Prae-

ſtantiſſimus Domnus IVLIVS DE PALMA (a quo nomen accepiſti, & ut ſperare lubet, eius referes humanitatem, mores, pietatem, doctrinam, magnanimitatem) Abbas Nobiliſſimi Monaſterii, & Baſilicae Beatorum Severini & Soſii in Vrbe Neapoli, quam quum antea magnifica & ſplendida eſſet, adiectis ampliatiſque multis operibus reddidit omnium ſplendidiſſimam ac magnificentiſſimam. Hic tantus Vir, egregius ſtudiorum tuorum fautor, Te Florentiam miſit, ut in hoc Celeberrimo Florentinae Abbatiae Collegio ſacrae Militiae inter Monachos tirocinium faceres, & quietiore ſpiritu, atque ab omnibus patriis avocamentis alieno, ſedulam in ſtudiis Philoſophicis & Theologicis navares operam, atque eius ſpes omnes impleres; quod quum facias ſtrenue, non abs re me facturum putavi, ſi voluntatem erga Te meam gratulabundus teſtarer. Huic Diatribae adieci in fine AVCTARIVM meum, quod etiam ſpero fore Tibi non ingratum ac iniucundum. Neque hiſce munuſculis contentus ſatis fui; volui etiam adiicere Syllogen Epiſtolarum aliquot, ad hoc tempus

pus ineditarum, quas ſummi Viri, praeſertim ex Ordine tuo, toto orbe litteris, pietate ac meritis praeclariſſimi, MABILLONIVS & MONTFAVCONIVS, olim ad immortalem Virum, cui ad foſſam uſque ero devinctiſsimus, ANTONIVM MARIAM SALVINIVM Amicum optimum, de ſe egregie meritum perſcripſerunt. Id facio, ut ad haec micantiſsima lumina (adde etiam Doctiſſimum Antiquitatis Interpretem BANDVRIVM) perpetuo reſpicias, eorumque veſtigia, atque alia etiam glorioſa Maiorum tuorum exempla adſiduo ſtudio ſecteris. Hanc Syllogen mihi publici iuris faciendam humaniſsime obtulit bono & ipſe Reipublicae litterariae natus SALVINVS SALVINIVS, Canonicus Florentinus, Praeceptoris mei germanus Frater eruditiſsimus. Has igitur doctae Vetuſtatis delicias, tuis auſpiciis & nomine illuſtratas, eo conſilio in publicum litteratorum hominum commercium ire ſino, ut ſis mihi (quod Tibi dum meum Muſeum una cum Vigilantiſſimo Magiſtro ac tirocinii tui moderatore D. Benedicto Cavallonio Florentino cum reliquis lectiſſimis

So-

Sodalibus tuis XVII. Kalendas Iunias hoc ipſo anno diligenter perluſtrabas, legendum, memoriaque retinendum propoſui in antiquo ſcripto marmore meo, quod infra in gratiam Tui referendum iterum cenſui, ſervata eiusdem marmoris genuina, inemendata licet, orthographia) SODALICIARIVS. BONVS. AMORATVS. FILETIVS VSQVE AT FOTSA. Salve igitur, IVLI PIGNATTELLE, Adoleſcens Ornatiſſime, Benedictini Ordinis Alumne, & quamprimum, ut ſpero, dum & ipſe in Cathedris docebis, & tuis egregiis lucubrationibus Litterariam Rempublicam augebis, praeclarum decus & ornamentum.

Scribebam in meo Muſeo Idibus Iuniis anno R. S. CIƆ.IƆ.CC.XXXXVIII.

IN-

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.




ANTIQVAE INSCRIPTIONIS EXPLANATIO

IN QVA

DE LOCATORIBVS SCENICORVM DISCEPTATVR.



CAP. I. *Ossuarium detectum ad Portam Capenam* .



AETERNAE VRBIS hoc prae ceteris decus eſt, ut in eius celebri ſolo effodiendo praeclarum aliquod monumentum ex ipſis ruderibus in dies emergat, auro contra ab Antiquitatum ſtudioſis aeſtimandum; ex quo priſca Romani nominis maieſtas, ſplendor, inſtituta, moreſque reviviſcere quodammodo viden-

deantur, novaque propterea Reipublicae Litterariae praesidia, ac ornamenta accedant.

Sub finem anni superioris ad Portam S. Sebastiani, vulgo antiquam Capenam, sed intra pomoerium (1), nimirum viginti circiter passus ante ipsius Portae egressum, in laevo latere Appiae Viae, supra modicum clivum, erutum fuit sepulchrale Conditorium, quod *Ossuarium*, & *Columbarium* ab antiquis etiam est adpellatum, in quo Inscriptiones aliquot eorum, qui ibidem positi fuerant, detectae sunt. Huius invisendi studio adductus Eminentissimus Princeps, ac Dominus meus clementissimus Ioseph Renatus Imperialis titul. S. Laurentii in Lucina, ac Presbyterorum S. R. E. Cardinalium prior, eo proficisci statuit die XXVI. Ianuarii huius anni MDCCXXVII. illiusque rei caussa Patrem Domnum Caelestinum Galianum, Ordinis Caelestinorum Procuratorem Generalem, ac Abbatem Lucam Nicolaum Recchum, amplissimi Cardinalis a cognitionibus accivit, meque etiam iis comitem addidit. Ad praestitutum locum accessimus; sed proh dolor! Columbarium ipsum a vineae conductore paene disiectum invenimus, ingestis quoque in ipsum ruderibus, ut quae eius magnitudo, ac figura fuerint, agnoscere non potuerimus. Seposuerat ille nonnullas eiusdem Conditorii Inscriptiones, & anaglypha fragmenta, ignarus quid essent; hoc unum ratus se pro ipsis lapidibus aliquam pecuniam ab emptoribus accepturum.

Ego vero Inscriptiones illas raptim, atque avide exscripsi. Has inter singularis, ac luce publica digna mihi visa est, quam hic profero:

Q. GA-

( ) *Pomoerium*, quasi *postmoerium*.

Q. GAVIVS AR MONIVS
LOC. SCAENICORVM
VIXIT ANNIS XXIIII. M. VI

Hanc ipſam Inſcriptionem brevi quadam interpretatione illuſtrare haud abs re futurum putavi, atque Eruditorum de mea qualicumque opinatione ſententiam rogare.

CAP. II. *Interpretatio Inſcriptionis*. Locare, *&* Locator, *quid*.

GRadum igitur primum facio ad notas illas breves LOC. quibus, ni mea me fallit opinio, LOCATOR exprimitur. Qua vero auctoritate, quibus teſtibus, monumentis, & coniecturis id adferam, haud ita multis praeſtabo.

Locandi verbum, cum apud Latinos Scriptores, tum apud veteres Iuriſconſultos ſaepe uſurpatur, quum quis, mercede conſtituta, paciſcitur cum aliquo de re, aut opere efficiendo, ſeu diſciplina facienda. Huius verbi in hanc ſignificationem apud Latinos vel aureae aetatis, innumera exempla ſuppetunt: nos aptiora rei, de qua agimus, confirmandae, ſelegimus. Cicero pro Q. Ro-

(1) Αʿρμόνιος, Harmonius, Locator Scaenicorum, pro Scenicorum, Σκηνικῶν.

Q. Roſcio Comoedo num. 28. *Diſciplina*, ideſt ars Hiſtrionica, *quae ab hoc* (Roſcio) *erat tradita*, LOCABAT *ſe non minus* HS. CCCIↃↃↃ. Idem Lib. I. Act. II. in Verrem num. 50. *Cum L. Octavius, C. Aurelius Coſs. aedes ſacras* LOCAVISSENT; quo verbo ſaepe Cicero in eadem Verrina utitur. Lib. III. in ipſum Verrem num. 145. *Opus tu, quod* HS. DLX. *millibus faciendum* LOCASTI. Et num. 154. LOCARAT *opus faciendum magna pecunia*. Philippica IX. in fine: *Vtique C. Panſa, A. Hirtius Conſules, alter, ambove, ſi eis videbitur, Quaeſtoribus Vrbanis imperent, ut eam baſim, ſtatuamque faciendam, & in roſtris ſtatuendam* LOCENT; *quantique* LOCAVERINT, *tantam pecuniam redemptori adtribuendam, ſolvendamque curent*. Reliqua Ciceronis loca omitto, ne faſtidium pariam. Praeclarum eſt etiam Livii teſtimonium Lib. XXXIV. Cap. LIII. quod, utpote longiuſculum, non adfero. Ad veteres Leges adcedo. In Lege III. Digeſtorum de his, qui notantur infamia, haec habentur: *Qui operas ſuas* LOCAVIT, *ut prodiret artis ludicrae cauſa, neque prodit, non notatur: quia non eſt ea res adeo turpis, ut etiam conſilium puniri debeat*. Vides ergo ab Hiſtrionibus locatas fuiſſe operas ſuas, & diſciplinas ab his traditas. Alias Leges in hanc ſignificationem, ſi cupis, adi Legem XXXI. §. *Qui aedem* Digeſtis *locati*, Lege II. §. *Si conſervatis* de Lege Rhodia, Leg. I. §. *Qui operas*, Digeſt. *de poſtulando*, & Legem XLIV. *de fideiuſſoribus*.

Pari quoque ratione LOCATOR is dicitur, qui pro aliquo opere, aut re facienda, ſtata pecunia, cum aliquo contrahit. Mos fuit apud Romanos, ut ſumptus funeris locarentur; itaque is, qui cum Libitinariis contrahebat, ut omnem adpa-

paratum, conventa mercede, ſuis ſumtibus praeſtarent, *locator funeris* dicebatur. Audi Plinium Lib. VII. Cap. LII. *Romae quoque Corſidium materterae ſuae maritum, funere locato revixiſſe, &* LOCATOREM FVNERIS *ab eo elatum*. Hinc frequenter apud veteres *funus locare*, & ſimilia.

Ex his ergo veterum teſtimoniis, in quibus, quae vis verbi locandi ſit, maxime elucet, non immerito colligo, ſingulares illas litteras in noſtra hanc Inſcriptione de LOCATORIBVS Hiſtrionum eſſe intelligendas.

Quid quod autem, ſi in antiquo lapide hoc ipſum nomen apertiſſimis litteris expreſſum eſt? Exſtat in Gruteriano Theſauro pag. MXXIV. 5. nobile Monumentum, quod Mediolani poſitum eſt duobus Scenicis Artificibus, *curante Calopodio Locatore*. Hoc autem loco minime a nobis illud praetereundum eſſe cenſuimus, ut videas quantum lucis ex hoc ipſo noſter lapis accipiat, & adpoſite quantum ille per noſtrum illuſtretur. Mediolanenſis porro lapis talis eſt:

D M

CVRANTE CALOPODIO LOCATORE

SVI TEMPORIS PRIMVS

IONA

THEOCRITI
AVGG. LIB
PYLADI
PANTOMIMO
HONORATO.
SPLENDIDISSIMIS
CIVITATIB. ITALIAE
ORNAMENTIS
DECVRIONALIB. ORNA
GREX
ROMANVS
OB. MERITA. EIVS
TITVL. MEMORIAE
POSVIT

TROADAS

Hic sculptus Vir tunicatus, & palliatus.

Hic sculptus Vir similis, qui dextra personam, sin. hastam tenet.

Curante ἐπιμελουμένου Καλοποδίου. *Bella gamba*. Θεόκριτοι Lib. Α'πελεύθεροι Πύλαδι Παντομίμῳ τιμηθέντι.
Splendidissimis. Λαμπροτάταις πόλεσι τῆς Ἰταλίας.
Grex. *Compagnia degl' Istrioni*. μνείας χάριν, ἀνέθηκεν.

Huius

Huius monumenti figura in modum arae affabre efformata eſt, ad latera ſculpti ſunt duo Hiſtriones, mimicis ornamentis induti: alteri nomen eſt IONA: alteri vero TROADAS, qui SVI TEMPORIS PRIMVS dicitur. Quum igitur legamus in ſumma faſcia hoc monumentum hiſce Ludionibus ponendum curaſſe *Calopodium Locatorem*, utique edparet, ni hoc exemplo fallor, ſiglas lapidis a nobis in lucem eruti, de LOCATORE eſſe accipiendas. Quae quum ita ſint, ob hoc ipſum nomen, quanto in pretio habenda ſit haec Inſcriptio, Antiquitatum amatores intelligent, quod in tota Gruteriani Theſauri collectione, nuſquam alias hoc nomen, niſi in memorato Mediolanenſi lapide occurrat.

His ita conſtitutis, ſequitur ut qui Locatores ipſi fuerint, definiamus. Erant igitur, qui conſtituta mercede, cum Aedilibus, ad quos, ut plurimum, cura, & impenſae ludorum theatralium pertinebant, aut cum ludorum editoribus, corpus Hiſtrionum pro ludis faciendis locabant. Mirari certe licet cur a viris doctiſſimis Iuſto Lipſio, Iulio Caeſare Bulengero, ac aliis, qui de veteri Theatro ſyntagmata ſcripſere, quum varia officia miniſtrorum Theatri in medium protulerint, de Locatoribus ne verbum quidem factum ſit; forte quia nunquam hoc nomen apud veteres Scriptores offendere; ex quo lapidis noſtri aeſtimatio augetur.

CAP. III. *Merces, & praemia Scenicorum.*

PErcontari autem ex me hoc loco nonnulli mihi videntur, quae pecuniae ſumma exigi a Locatoribus ſoleret, & quantam ipſi Hiſtriones acciperent. Initio quidem quum primum Romae ludi ſcenici inſtituti ſunt, nimirum A. V. cccxc. nihil a ſpectatoribus ſolutum fuiſſe arbitror; ſed paulatim, ſicut in ludis celebrandis ingentes pecuniae copiae inſumptae ſunt, ita & Scenicorum mercedes modum exceſſere. Ludorum profuſas impenſas ſua aetate Livius damnat, dum eorum origines refert Lib. VII. Cap. II. *Inter aliarum parva principia rerum*, inquit, *ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt; ut adpareret, quam ab ſano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerit*. Qui primus apud Graecos Tragoedum egit, Horatio teſte in Arte Poetica:

——— *vilem certavit ob hircum*. (1)

Livius quoque auctor eſt Lib. XXXIV. Cap. XLIV. & LIV. uſque ad A. V. DLIX. populum in promiſcuo una cum Senatoribus ſpectaſſe; & tum primum loca Senatoria a ceteris ſecreta fuiſſe: quod Sextus Aelius Paetus, & C. Cornelius illius anni Cenſores Aedilibus Curulibus imperarunt.

Origo autem pendendi aliquid pro ſpectaculis, ex Graecis accepta a Romanis videtur; nam primum Periclem ferunt, ut plebeculae gratiam iniret, quum tenuiores inopiae cauſſa loca emere non poſſent, quae a divitibus data pecunia occupa-

(1) Τραγῳδία, τράγος, hircus, *cantus ob hircum*.

cupabantur, publicas omnes pecunias, *theoricas* (1) esse voluisse; quod habet Vlpianus Olynthiaca prima (2). Itaque Athenienses pecunias militares populis viritim dividebant, ut singuli duos obolos acciperent: & altero vitam tolerare, altero spectare in Theatro possent. Ea pecunia igitur, quae pro scenicis spectaculis solvebatur, a Graecis *theorica* dicebatur, ut observat Ludovicus Coelius Rhodiginus Lib. VIII. Cap. IX. quod *thea* apud eos *spectaculum* vocetur. Vide fusius ea de re Carolum Sigonium de Republica Atheniensium Lib. IV. Cap. III. Romae vero Ciceronis aevo adeo excreverat Histrionum merces, ut hac arte vel solus Comoedus summas divitias pararet. De Q. Roscio Comoedo testatur ipse Cicero in Oratione pro eodem Roscio num. 8. *Proh Deûm*, inquit, *hominumque fidem*, *qui* HS. cccIↃↃↃ, cccIↃↃↃ, cccIↃↃↃ *quaestus facere noluit*; *nam certe* HS. cccIↃↃↃ, cccIↃↃↃ, cccIↃↃↃ, (idest tercentum millia sestertium) *merere*, *&* *potuit*, *&* *debuit*; *si potest Dionysia* HS. cccIↃↃↃ, cccIↃↃↃ *merere*, *is per summam fraudem*, *&* *malitiam*, *&* *perfidiam* HS. IↃↃↃ *appetiit*? *Et illa fuit pecunia immanis*, *haec parvula*: *illa honesta*, *haec sordida*: *illa iucunda*, *haec acerba*: *illa propria*, *haec in causa*, *&* *in iudicio collocata*. *Decem his annis proximis* HS. *sexagies honestissime consequi potuit*: *noluit*, *laborem quaestus recepit*: *quaestum laboris reiecit*; *populo Romano adhuc servire non destitit*: *sibi servire iam pridem destitit*. De hoc eodem Roscio, & Aesopo Ciceroni quoque grato, haec adfirmat Macrobius Saturnalium Lib. II. Cap. X. *Is est Roscius*, *qui etiam L. Sullae ca-*

(1) θεωρικὰ χρήματα, pecunias ad spectandum.
(2) Vlpianus interpres Demosthenis.

rissimus fuit, & annulo aureo ab eodem Dictatore donatus est. Tanta autem fuit gratia, & gloria, ut mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus acciperet. Aesopus vero ex pari arte ducenties sestertium reliquisse filio constat. Quamvis autem, ut Iustus Lipsius in Syntagmate de Amphitheatro Cap. xv. animadvertit, pro ludis spectandis loca gratuita esse viderentur; prisco tamen more receptum erat, ut aliquid, a servis praesertim, & a plebe penderetur. Huc siquidem idem Lipsius spectare ait, quod habet Plautus', seu vetus Auctor in Prologo Poenul. ver. 23.

Servi ne obsideant, liberis ut sit locus:
Vel aes pro capite dent: si id facere non queunt,
Domum abeant.

CAP. IV. *Pecunia in ludos erogata, dicta* lucar.

PEcunia porro illa, quae in ludos, spectacula, & in ipsos Scenicos erogabatur, *lucar* ex Pompeii Festi auctoritate adpellata fuit (1), inde dicta, quod e lucis captetur. Gerardus Iohannes Vossius in Etymologico verbo *lucar*, & *locar*, Festum reprehendit, & hoc nomen a locis, pro quibus haec pecunia a sedentibus solvebatur Locariis (2), derivat. Verum Fulvius Vrsinus in Notis ad Taciti Annal. Lib. I. Cap. LXXVII. pag. 425. a lucis profectam *lucaris* vocem, adstipulante Plutarcho in Problematibus, opinatur, suamque sententiam fide fragmenti marmorei firmavit, in quo incisum erat: DE LVCARI LVDORVM SAECVLARIVM, & LVCARIS NO-

(1) *Locar*, e *Lucar*, da' luoghi per sedere.
(2) Agli Accomodatori.

NOMINE. Hoc autem fragmentum Senatus Consulti de ludis saecularibus, C. Silano, & C. Furnio Coss. hoc est A. V. DCCXXXVII. actis, ipse Vrsinus edidit in fine libri de Legibus, per insignem Antistitem Antonium Augustinium vulgati. Ioannes vero Ludovicus de la Cerda Advers. Sacrorum Cap. XLIX. §. 6. mendum esse in Festo, verbo *lucar*, contendit; nam quum in editis Festi exemplaribus habeatur „ *lucar* adpellatur, quod „ *ex lucis*„ captatur; loco *lucis*, ille legit *ludis*; *lucar* enim scribit, pro *ludis* dabant de privato aere spectatores, & interdum de publico. Ibidem notat, *lucar* fuisse mercedem Saltatorum, & Histrionum; hinc a Tertulliano adversus Gnosticos Cap. VIII. litteris traditum, Sanctum Ioannem Baptistam capite caesum fuisse *in puellae Salticae lucar* (1). Certe quidem Sosipater Charisius Institutionum Grammaticalium Lib. I. *lucar*, theatricum argentum explicuit. Cassiodorus autem Lib. I. var. Epist. XXXII. stipendium mimicorum, *menstruum* adpellat, fortasse quia singulis mensibus daretur.

CAP. V. *Quibus pecunia traderetur.*

MErces Theatri, ut est apud Iulium Caesarem Bulengerum de Theatro Lib. I. Cap. LVIII. dabatur apud Graecos ei, qui *Theatrona* vocabatur; & qui pecuniam a populo exigebant, Aeruscatores dicti sunt. *Theatronae* (2), inquit, erant Redemptores Theatrorum; qui facienda, & exstruenda subita Theatra conducebant. Totam vero summam, quae, sive ex populo, & ex spectatoribus

 coi-

(1) Ὀρχηστρίας, Saltatricis.

(2) θεατρῶναι, ut σιτῶναι, frumenti coemptores annonarii, ab ὠνέω, emo.

colligebatur, in manus Aedilium deveniſſe puto, quorum erat ſumptus ludorum facere.

CAP. VI. *Stipendiis Hiſtrionum modus impoſitus.*

SED ut ad mercedem, & praemia Scenicorum ſermo redeat, certa de his ratio reddi non poteſt, quum ſubinde mutata res ſit, aut profuſis largitionibus modus impoſitus. Tiberius A. V. DCCLXVIII. Theatri licentiam coërcuit, & Hiſtrionum mercedes decurtavit, ut habet Suetonius in eius vita cap. XXXIV. *Ludorum*, inquit, *ac munerum impenſas corripuit*, MERCEDIBVS SCENICORVM RESCISSIS. Tacitus vero Annalium Lib. I. cap. LXXVII. rem narrat his verbis: *De modo lucaris, & adverſus laſciviam fautorum multa decernuntur*. Ceterum vulgarium Actorum (1) mercedem fuiſſe quinque denarios, Iuſtus Lipſius in Excurſu ad Annal. Tacit. litt. E, pag. 499. editionis Plantinianae exiſtimat, ſaepius id fuiſſe immutatum pro genio vulgi, & editorum. Ex Senecae Ep. LXXX. non aliud, quam quinque modios, & quinque denarios datos liquet: *Ille, qui in ſcena elatus incedit, & haec reſupinus dicit*, impérito Argis (2), *Servus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios*. Similia refert Lucianus in Icaromenippo. Ecquis autem contra ſibi non perſuadeat, immenſam pecuniam in Scenicos a Nerone collatam? Tanti erant, eo imperante, Hiſtriones, ut ipſi Neroni, quo inter Scenicos privatis ſpectaculis operam daret, quidam Praetorum, quod Suetonius in vita Cap. XXI. adfirmat, HS. *decies obtulerit*. Quapropter Galba, ut eſt apud eumdem Sue-

(1) ὑποκριθῶν, *Hiſtrionum*.
(2) *imperito*, frequentativum ab *impero*.

Suetonium Cap. XV. *Liberalitates Neronis , non plus decimis concessis , per quinquaginta Equites Romanos ea conditione revocandas curavit , exigendasque , ut & siquid* SCENICI, *aut Xystici donatum olim vendidissent , auferretur emtoribus , quando illi , absumto pretio , solvere nequirent .* Sensim vero Scenicorum mercedes excrevere : hinc factum , ut M. Antoninus Imperator eas corripuerit : *Temperavit* (Capitolinus inquit in vita Cap. XI.) *scenicas donationes , iubens , ut quinos aureos Scenici acciperent : ita tamen , ut nullus editor decem aureos egrederetur* : magno tamen, clamat Lipsius memorato nobis nuper loco , corruptis moribus incremento . De his quoque aureis meminit etiam vetus Scholiastes Iuvenalis in Satyr. VII. verf. 243.

Accipe , victori populus , quod postulat aurum .

Vt in Theatro (inquit) *solent petere quinque aureos* : *nam non licebat amplius dare .*

CAP. VII. *Scenici honoribus affecti .*

QVis vero non modo Romanorum , sed & Italicarum Vrbium levitatem , ne dixerim insaniam, miretur , quum Scenicos & praemiis amplissimis , honoribus Magistratuum , & Civitate ipsa aliquando donarint ? Testem adhibeo unum M. Tullium in Oratione pro Archia Poeta num. 5. *Etenim* , inquit , *cum mediocribus multis , & aut nulla , aut humili aliqua arte praeditis , gratuito civitatem in Graecia homines impertiebantur , Rheginos credo , aut Locrenses , aut Neapolitanos , aut Tarentinos , quod* SCENICIS ARTIFICIBVS *largiri solebant, id huic summa ingenii praedito gloria noluisse ?* Atque illud etiam mirandum est , aliquando ab Equitibus Romanis ludicram artem in Theatris ex-

excultam fuiſſe : Auguſtus enim ad *Scenicas* , *&* *Gladiatorias operas etiam Equitibus Romanis uſus eſt , priuſquam S. C. interdiceretur* . Suetonius Cap. XLIII. Mitto lapides , in quibus de ornamentis Decurionalibus , ac Magiſtratibus conceſſis Mimis , ac Pantomimis mentio fit .

CAP. VIII. *Scenici infames* .

ATtamen Romanis Legibus infames Hiſtriones declarantur in Lege II. Lib. III. Digeſtorum *de his qui notantur infamia* ; ſed nos ea de re paullo poſt ; tu interim vide Bulengerum de Theatro Lib. I. Cap. I. & ad honores Scenicis collatos quod attinet , Laelium Biſciolam Horarum Subſecivarum Lib. XIX. Cap. V. pag. 1430.

CAP. IX. *Scenicorum vox in hac Inſcriptione explicata* .

NVnc autem a re ipſa parumper declinantes , ad verbum illud SCAENICORVM in Inſcriptione poſitum convertamus animum. Nullus ambigo, quin haec vox in hocce lapide de Scenicis Actoribus intelligi debeat , non de epitheto ad rem Theatralem pertinente . Protritum enim eſt Hiſtriones , & ludicram artem profeſſos , a Latinis Scriptoribus & *Scenicos* ſimpliciter , & *Scenicos Artifices* adpellatos (1). In teſtem adduco Ciceronem ipſum Latinae Linguae exemplar . Audi eius verba Lib. I. Offic. Cap. XXXIII. *Ne* SCENICI , *plus quam nos , videantur habere prudentiae* . Et Cap. XXXV. SCENICORVM *quidem mos tantam habet*

(1) Διονυσιακοὶ τεχνῖται , *Bacchi Artifices* ; nam in tutela Bacchi erant Ludiones .

bet verecundiam, ut in Scenam ſine ſubligaculo prodeat nemo. In Oratione vero pro Archia Poëta num. 5. ut ſupra vidimus, *Artifices Scenicos*, Hiſtriones nominavit. Lapidum exempla non advoco, utpote notiſſima; & vel ipſe titulus Codicis Theodoſiani Lib. XV. Tit. VII. *de Scaenicis*, ſententiam hanc maxime comprobat, ne ad infinitos Scriptores provocemus.

CAP. X. Scaenicus, *&* Scaenae *cum diphthongo*.

NVlla item haeſitatio eſſe debet ob huius nominis orthographiam. Si quis enim erit priſcae apud veteres ſcribendi rationis parum gnarus, qui forte putet vitioſe hanc vocem SCAENICORVM per diphthongum AE exaratam; ideoque ad inferiorem aetatem lapidem ipſum amandandum contendat, ne id praeceps ſtatuat, eum rogabimus. Volumus enim, ut prius intelligat ex Aldo Manutio iuniore in Orthographia pag. 700. edit. anni 1566. *Scenam* quidem ſine diphthongo ſcribi, ut a libris, & a Graeca conſuetudine docemur; verum aliter proſtare in lapidibus quibuſcumque, quos is viderit, in quibus SCAENA, & SCAENICI cum diphthongo efferuntur, ut certe praeferunt Inſcriptiones apud Gruterum pag. CI. 3. CCLXX. 6. CCCXXX. 2. CCCXXXII. 4. & 6. CCCCIX. 3. CCCCLXVII. 7. DLXXIX. 2. Adde Claudium Dauſquium in Orthographicis pag. 281. Gerhardum Io. Voſſium in Etymologico verbo *Scena*, ex Varronis, & Priſciani ſententia. Immo aureo illo Linguae Latinae ſeculo per diphthongum hae voces ſcribebantur, quod patet ex Piſano Cenotaphio Caii Caeſaris, Auguſti nepotis. Viſuntur in eo lin. 30. haec verba LVDI SCAENICI. Non diffitemur quidem

dem cum magno Norisio in Differt. IV. p. 482. de Cenotaphiis Pisanis variatum in *Scena*, & *Scenicorum* scribendi ratione; sed frequentius in lapidibus, vel optimae aetatis, haec nomina occurrere cum diphthongo: quae cum sine ulla certa ratione, ut observat Christophorus Cellarius in Orthographia Latina, scribantur, vulgarem consuetudinem nos quoque amplectimur, satis nobis est priscum, & frequentem morem indicasse.

CAP. XI. *De infamia, & impudicitia Theatri.*

SED his orthographicis dimissis, ad ea mentem convertamus, quae Christianos maxime decent, & in mentem revocemus quantopere Ecclesia Dei, ac primi Patres, ipsique Christiani Imperatores spectacula, & ludicram artem exhorruerint, & improbarint (1). Romanorum inconstantiam non moramur, quorum leges infamia Actores notabant: nihilominus eosdem identidem honoribus adficiebant, ut superius adnotavimus. Sane quidem vel ipsi Ethnici Scriptores fassi sunt, per Mimos, Pantomimos, Ludiosque, flagitiis, ac turpitudine Scenam foedatam. Id ultro dedit Ovidius, Poëta minime amorum profligator, qui in hanc sententiam cecinit, Tristium Lib. II. Eleg. I. vers. 279.

Vt tandem hoc fatear: ludi quoque semina praebent
Nequitiae: tolli tota Theatra iube.
Peccandi caussam, quae multis saepe dederunt,
Martia cum durum sternit arena solum.

Inter Poëtas quoque minime verecundos Propertius

(1) Religionis caussa, propterea quod ii ludi Deorum alicui dedicati; vel quod turpia agebant.

tius Lib. II. Eleg. XXII. docet libidinis, atque impudicitiae Theatra in caussa esse; cui adstipulatur Ovidius de Arte amandi Lib. I. vers. 89. & sequentibus.

Quo autem studio, atque ardore in spectacula nostros illos priscos Ecclesiae Patres stilum acuisse putas? Instar omnium nobis sit Tertullianus, qui in Libro de Spectaculis Cap. XXII. honoribus summotos, ludorum Actores narrat: *Etenim*, inquit, *vel ipsi auctores, & administratores spectaculorum, Quadrigarios*, SCENICOS, *Xysticos, Arenarios illos amantissimos, quibus viles animas feminae, aut illi etiam corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt, quae reprehendunt, ex eadem arte, quam magnifaciunt, deponunt, & deminuunt; immo manifeste damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, ceterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis*. Idem Cap. X. Censorum Romanorum priscam disciplinam, Cornelio Nasica auctore, commendat, quum Theatra solo aequare iusserunt: *Saepe Censores renascentia cum maxime Theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant*. Et in Apologetico Cap. VI. Romanis probro vertit, quod saluberrimas illas Leges labefactarint. *Quonam illae Leges abierunt, quae Theatra stuprandis moribus orientia, statim destruebant?* Mox: *Video & Theatra, nec singula satis esse, nec nuda. Nam, ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedaemonii odium penulae ludis excogitaverunt*. Accipe praeterea quantopere is urgeat, ut spectacula a Christianis fugiantur: *Similiter* (inquit Cap. XVIII. de Spectaculis) *impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur*

modo

modo etiam a Theatro separamus, quod est privatum consistorium impudicitiae, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus Gesticulator (1), *quam Mimus etiam per mulieres repraesentat, sexum pudoris exterminans, ut facilius domi, quam in Scena erubescant: quam denique Pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ista etiam prostibula publicae libidinis hostiae in Scena proferuntur; plus miserae in praesentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis aetatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, praedicatur. Taceo de reliquis, ea, quae in tenebris, & in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat Senatus, erubescant Ordines omnes. Ipsae illae pudoris suae interemptrices, de gestibus suis ad lucem, & populum expavescentes, semel anno erubescunt*. Iam vero Christianos a spectaculis abstinuisse docet in Apologetico Cap. XXXVIII. *Aeque*, inquit, *spectaculis vestris renunciamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, quum & ipsis rebus, de quibus transiguntur praeter sumus, nihil nobis est dictu, visu, auditu, cum infamia Circi, cum* IMPVDICITIA THEATRI, *cum atrocitate Arenae, cum Xysti vanitate* (2). In hanc porro sententiam adversus spectacula loquuti sunt S. Cyprianus Epist. II. ad Donatum, edit. Pamelii, & Cap. V. de Spectaculis,

(1) Fabulae obscenae Atellanae. Gesticulator, ὀρχηστὴς, *Saltator*.

(2) *Atrocitate arenae*. Gladiatores intelligit; *Xysti vanitate*, Athletas.

lis, Lactantius Lib. VI. Cap. XX. S. Augustinus Lib. II. de Civit. Dei a Cap. IV. ad XIV. ut alios praetermittam.

CAP. XII. *Sanctiones Conciliorum in Scenicos.*

ADeo vero Ecclesia Christi primis seculis Scenicos aversata est, ut, si auctori Constitutionum Apostolicarum Lib. VIII. Cap. XXXVIII. fides est, Histriones a Baptismo arcerentur. Benignior fuit Ecclesiae disciplina seculo IV. ineunte. Nam Concilium Illiberitanum habitum anno D. 305. Can. LXII. censuit, Comicos ad Baptismum recipiendos esse: ea tamen conditione, *ut prius artibus suis renuntient, ita ut ulterius non revertantur. Quod si facere contra interdictum tentaverint, proiiciantur ab Ecclesia.* Iidem Illiberitani Patres Can. LXVII. statuerunt, *prohibendum ne qua fidelis Catechumena* (1) *aut Comicos, aut viros Scenicos habeat; quaecumque hoc fecerit, a communione arceatur.* Ludicram artem agentes ab Ecclesiae communione perpetuo segregati fuisse videntur, neque admissi, etiam in fine vitae: donec ab Africano Concilio Cap. XII. definitum fuit, *ut Scenicis, atque Histrionibus, ceterisque huiusmodi personis reconciliatio non negetur.* Ea siquidem piae matris Ecclesiae mens fuit, ut iam morituris, si peterent, Sacramenta non denegarentur. Confer in rem hanc Ferdinandum Mendozzam de Illiberitano Concilio confirmando pag. 477. & sequentibus, & pag. 498. & 499. ac Iacobum Go-

(1) Κατηχουμένη *Catechumena*; Tertulliano Catechumeni dicuntur *Audientes*, ἀπὸ τῆς ἠχοῦς, *ab echone*, a sono in aures Christianorum Candidatorum descendente.

Gothofredum in Commentar. ad Leg. I Cod. Theodosiani *de Scenicis*.

CAP. XIII. *Imperatorum Leges de Scenicis*.

IPsi quoque Christiani Imperatores, latis Legibus, Scenicos pro infamibus habuere, eorumque munus inter turpia ablegarunt; sancientes praeterea, ne Scenici, Scenicaeve, si Christianam Religionem amplecterentur, ad ludicram artem exercendam amplius redire possent. Id enim constituit Valentinianus senior A. D. CCCLXXI. ut est in Leg. I. Cod. Theod. *de Scenicis*. Idem eodem anno aliam legem edidit, qua filiae Scenicarum, si inhonestam vitam ducerent, scenicae conditioni accensebantur; eximebantur vero, si honeste viverent, aut Christianae Religioni se manciparent. Minime autem licebat iis, qui prius Scenicas operas professi fuerant, si post Christi fidem amplecterentur, ad eam artem reverti: quod quidem Imperatores Gratianus, Valentinianus, ac Theodosius Augusti A. D. 380. & 381. Leg. IV, VIII & IX. Cod. Theod. *de Scenicis* vetuerunt.

Haec satis pro re nata de Ecclesiasticis, & Imperatorum sanctionibus adversus Scenicos. His autem Commentariolum hunc absolvere nobis placuit, explanatoque Q. Gavii Armonii, Locatoris Scenicorum officio, in ludicram artem aliquantisper divertere. Si qua vero reprehendenda in mea hac interpretatione Viris eruditis videbuntur, aequi bonique faciam.

CAP.

CAP. XIV. *Opinio Cl. Fabretti de Porta Capena confirmata.*

ANtequam vero manum de tabula moveam, obiter animadvertendum censeo ex loco eruti huius sepulcralis Monumenti intra ambitum murorum Vrbis Romae, opinionem V. C. Raphaëlis Fabretti de situ antiquae Portae Capenae confirmari. Fabrettus enim in Dissertatione de Aquis & Aquaeductibus num. 43. & sequentibus, acriter contendit adversus Antiquarios fere omnes, nimirum Bartholomaeum Marlianum, Olaum Borrichium, Alexandrum Donatum, Famianum Nardinium, aliosque bene multos, antiquam Portam Capenam non fuisse, quam nos hodie Portam S. Sebastiani adpellamus; sed fuisse Coeliolum versus, quod coniecturis non contemnendis comprobat. Quum igitur Conditorium, de quo nobis sermo est, detectum sit intra pomoerium hodiernae Portae, quae eadem ac antiqua Capena ab his Antiquariis, quos commemoravimus, iudicata fuit, ex situ detecti Monumenti adparet, alibi Portam Capenam fuisse, quum notum sit Sepulcra ex legibus Romanis, constituta fuisse extra pomoerium. Circa hunc situm praeterea certe ad hanc Portam intra moenia Vrbis eruta fuit c. A. D. 1615. inscriptio L. Scipionis Barbati, quae prodiit in lucem A. D. 1616. cura & studio V. C. Iacobi Sirmondi; fatetur enim Sirmondus L. Scipionis Barbati elogium ad Capenam intra moenia effossum fuisse: qua de re laborandum non esse censuit, quamvis, inquit, sepeliri intra moenia mos non erat, eo aliquando translatum fuisse potuit, aut Sepulcrum ibi olim conditum, & moe-

nia poſt id tempus cum pomoerii finibus amplificata. Verum dubitationem omnem eximit ſepulcrale noſtrum monumentum, atque adeo, ſi circa huius ſitum inventus eſt lapis L. Scipionis Barbati, certum eſt non intra, ſed extra Portam Capenam fuiſſe. Scipionum autem ſepulcra extra illam fuiſſe, fidem faciunt Livius Lib. XXXVIII. Cap. LVI. & Cicero Tuſcul. Lib. I. Cap. VII. ut Sirmondus monuit.

Commodum vero accidit, ut hanc lucubratiunculam, pro qua exaranda nonnulla in adverſaria conieceram tum cum monumentum inviſimus, per hoſce dies autumnales, quibus valetudinis per aeſtivos Vrbis calores adfectae, & imbecillis, confirmandae cauſſa, in amoeno Montisfaliſci aëre dego, & viri doctiſſimi Abbatis Alexandri Mazzinelli hoſpitalitate, & conſuetudine, pro ſua erga me humanitate, fruor, litteris, deinde typis huius celebris Seminarii mandarem; favente Illuſtriſsimo ac Reverendiſſimo Domino Sebaſtiano Pompilio Bonaventura, Faliſcanae & Cornetanae Eccleſiae Praeſule meritiſſimo. Tempus quoque me iuvat, ne hoc ſcriptionis genere reprehendar. Memoria enim teneo S. Cyprianum in epiſt. 1I. ad Donatum, Vindemialibus diebus ſcripta, tradidiſſe, non dedecere his diebus, in fabulis legendis, tempus aliquod inſumere, ut exinde animus ad coeleſtia meditanda raperetur. *Bene admones*, inquit, *Donate cariſſime; nam & promiſiſſe me memini, & reddendi tempeſtivum prorſus hoc tempus eſt* (1), *quo indulgente vindemia, ſolutus animus in quietem, ſolemnes, ac ſtatos anni fatigantis inducias ſortitur. Locus etiam cum die con-*

(1) Καιρὸς εὔκαιρος.

convenit, & mulcendis sensibus, ac fovendis ad leves auras blandientis autumni, hortorum facies amoena consentit, hic iucundum sermonibus diem ducere, & studentibus fabulis in divina Praecepta conscientiam pectoris erudire. Ibidem Cyprianus spectacula improbat, ac damnat.

CAP. XV. *Inscriptiones in Ossuario repertae.*

POstremo coronidis loco ceteras Inscriptiones, ex memorato sepulcrali Monumento eductas, luci damus:

1.

FONTEIA
Q. ET. Ɔ. L
PRIMA

2.

FVLVIA.....
SIBI
FVLVIO.....
POSTERISQVE.....

3.

D. M
Q. MARCIO. CHARI
TONI. CONIVGI. F. C.
ANTISTIA. TYRAN
NIS. BENEMERITI
Q. V. A. LXV.

4.

L. NAEVI.....
PHAED.....

5.

C. VIBIVS
sic ANDROMACH

6.

LYCIRE. HIRTIA
AELIVS. LIGVS

 7.

7.

D M

CARPOHORO.....
NIVGI.KARISSIMO.....
NEMERENTI . FECIT . MO
DESTA CONIVX CVM QVO VIX
IT . A . XX . V . A . P . M . L

8.

In cippo

L . LICINIVS
L . L . SVRVS

9.

D M
. . . RELIVS . PHILETVS . AVG . LIB. . . .
.....FVSTE . ET . CVM . BARISIA MARCE.....
.... XE . TAVRILIA . PHILETE . FILIA....
... FECERVNT . . SIBI . ET . SVIS
.... TIS . LIBERTABVSQVE
......TERISQVE . EORVM



AN-

ANT. FRANCISCI GORI

PRAEPOSITI BASIL. BAPTIST. FLORENT.

IN PATRIO LYCEO HISTORIAR. PROFESSORIS

A V C T A R I V M

AD DISCEPTATIONEM

DE LOCATORIBVS SCENICORVM

EDITAM

A DOMINICO GEORGIO

VIRO CLARISSIMO

AD EVNDEM

D. IVLIVM PIGNATTELLVM

MONACHVM CASINENSEM &c.

AVCTARII CAPITA



CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.


CAPVT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.






ANT. FRANCISCI GORI
PRAEPOSITI BASIL. BAPTIST. FLORENT.
IN PATRIO LYCEO HISTORIAR. PROFESSORIS
AVCTARIVM
AD DISCEPTATIONEM
DE LOCATORIBVS SCENICORVM

CAPVT I.

Vtilitas, & necessitas studii eruditae Antiquitatis cum sacrae, tum profanae. Vetustorum Marmorum ac Numismatum usus & praestantia. Sciolorum quorumdam inepta dicteria reiiciuntur.



Uamvis exploratissimum sit, ac meridiana luce clarius, IVLI PIGNATTELLE ORNATISSIME, & calculo doctissimorum virorum testatum probatumque, immensas, ac paene incredibiles esse studii venerandae ANTIQVITATIS utilitates; luculentissimamque hauriri ex priscis Saxis ac Numismatis eruditionis copiam: & mancam esse atque imperfectam in politissimo homine sacris profanisque litteris dedito doctrinam, si Vetustatis mysteriis non sit initia-

tiatus, & non parum excultus; tamen (quod mirum est) hac ipsa quoque aetate nostra, in tanta doctissimorum hominum, & disciplinarum luce non desunt inepti scioli quidam iuvenes valde audaces & contentiosi, qui frequenter dictitant, inutile prorsus ac futile esse studium vetustorum monumentorum, quod nulla in re prosit & cultoribus ipsis, & hominum societati. Pudet me tam insulsum ac puerile convicium potius, quam argumentum refellere, quum edita a Celeberrimis Viris tum de Lapidum, tum de Numismatum antiquorum usu, & preastantia volumina abunde satis ostendant, quantum isti caecutiant, & mortalium omnium plane sint amentes ac deridiculi. Haud ita Tu ipse profecto sentis, qui sapis, & hanc semidoctorum turbam contemnis; nam probe institutus a Praeceptore tuo optimo viro Cl. D. Petro Aloysio Gallettio, Philosophiae, ac Geometriae studia cum antiquarum rerum, Marmorum, & Numismatum cognitione ac scientia egregie coniunxisti; brevique temporis spatio tales ac tam mirificos progressus in his fecisti, ut iam ex ungue leo dignosci possit.

CAPVT II.

Nonnullorum studiosorum Iuvenum praecoces curae in explicandis antiquis Monumentis, qui alios contemnendo, non laudem, sed dedecus sibi conquirunt, improbantur.

HIs otiosis priscarum deliciarum osoribus alii succedunt gnavi & industrii, qui licet veteris aevi divitias diligant, & plurimi faciant, sedulamque in ipsis perscrutandis navent operam; tamen praecoci ingenio, nondum in rerum vetustarum

tra-

tractatione maturi, dum multa animo meditantur, ut se eruditos buccis crepantibus testentur, editis aliquot lucubrationibus sine delectu & iudicio, nulla in eorum tumultariis scriptis elucescente Criticae Artis scintilla, identidem dolent, & tristes effutiunt querelas, quod, occupatis lectioribus subselliis, nullus sibi supersit locus ut in doctorum consessu sedeant; nulla sibi relicta conqueruntur argumenta ex penu Vetustatis depromta, quibus editis suis lucubrationibus fulgeant, atque, si non pari, aliquo tamen perhonorifico gradu inter doctos homines emineant, & nominis claritudinem consequantur. Hinc vides non paucos, invita Minerva, imo ea adversa, & reluctante, in publicam lucem frequenter libellulos proferre; mirumque in modum exsultare, ac sibi plaudere, ceteris omnibus contemtis, dum alienos partus ad Musas deferunt, eosque fasciolis quibusdam ornant eruditulis, ut facilius placeant, gratiusque a litterariae Reipublicae Senatu suscipiantur. Dum haec tamen scite & multa cum meditatione faciunt, atque eleganter, non parum eos laudare soleo; sed, si maiora quaedam moliri ingenio suo velint, nego exhaustas esse omnino, ut ipsi putant, venerandae Antiquitatis cum sacrae, tum profanae fodinas; nego sedes omnes iam occupatas; & nihil, aut parum superesse, ut ipsi quoque omnigenae eruditionis palmam adipiscantur, & de Litteris optime mereantur. Si tempus sineret, ostendere possem vix dimidiam huiusce eruditi Orbis partem in Antiquitatis studio esse perlustratam; quin imo alia multa, dicam etiam plurima, adhuc superesse sive emendanda, sive illustranda, sive ex integro producenda, quae adhuc intacta relicta sunt.

CA-

CAPVT III.

Plurima, eaque maximi momenti in vetuſtis inſcriptis Lapidibus & Nummis adhuc explicanda, & accuratius enucleanda ſupereſſe, oſtenditur. Vetuſta monumenta paene immenſam eruditionis ſegetem continere indubitatum eſse. Columbaria veterum, quae nam fuerint. Clariſsimi Dominici Georgii perbreve elogium.

VNus ſolusque immenſa eruditionis fruge refertus IANI GRVTERI Theſaurus, (ne quid dicam de Reineſianis, Sponianis, Fabrettianis, Donianis, & Muratorianis Gazis) quot & quanta, Deus immortalis! ſuppeditat expendenda, & enucleanda, quae nondum ſatis eruditis obſervationibus illuſtrata ſunt! Qualia & quanta ſunt, quae vel relicta, vel ſilentio praeterita, vel perperam explicata in editis libris occurrunt! Ne multis utar exemplis in re clariſſima, teſtantur huius rei veritatem *Faſti Attici* nuper editi, opus immenſae & exquiſitae eruditionis celeberrimi ac doctiſſimi Profeſſoris in Piſano Lyceo P. Eduardi Corſinii, & Notae Graecorum Marmorum ab eo explicatae, quae nunc excuduntur. Nil dico de opulentiſſimo & vaſtiſſimo editorum Numiſmatnm promtuario, quum alia Numiſmata adhuc non cognita illuſtranda ſuperſint, & iam edita iterum novis adceſſionibus, & criticis notis accuratius expendi, & locupletari poſſint. Sed, quum de antiquis tantum ſcriptis ſaxis ſermonem modo inſtituendum cenſuerim, quod dicebam, veriſſimum eſſe apertiſſime oſtendit ſepulcralis iſte titulus ab eximio doctiſſimoque Praeſule *Dominico Georgio* in lucem editus, & pereruditе illuſtratus, in

in quo memoratur *Q. Gavius Armonius* LOCATOR SCAENICORVM. In poſtremis menſibus anni MDCCXXVI. detectum eſt Monumentum ſive Columbarium, picturis & plaſticis operibus ornatum, quod Cl. Ficoronius deſcribit in Tractatu de aurea Puerorum nobilium bulla pag. 47. De Columbariis & Sepulcris veterum Romanorum, quae iam nota ſunt, haud opus eſt ut aliquid dicam. Ea ita dicta conſtat, quia in parietibus cum ordine exſtructa & diſtributa ollas cinerarias continebant, quarum quum in planitie arcuatae cellulae opercula tantum conſpicua prominerent, nidos columbarum referebant, indeque Columbaria dicta ſunt. Ante ea adfixus erat titulus, indicans cuius eſſent cineres in ollis reconditi. Horum icones vide in Columbario Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtæ &c. Tab. XX. & quae adnotavi in §. X. pag. 52. & ſeqq. ad Portam Capenam Via Appia ſiniſtrorſum, quam S. Sebaſtiani dicunt, cura Eminentiſs. Cardinalis DE POLIGNAC effoſſo. Ex Collectoribus antiquorum Marmorum hoc *Locatoris Scaenicorum* munus auditum antea non fuerat, nec innotuerat eius officium ſive profeſſio; nec Commentario explicatum, qui nam is eſſet, & cur ita adpellaretur. Vides igitur, PIGNATTELLE *Amiciſſime*, quam laeta & copioſa eruditionis ſeges ex hoc perparvo lapide prodierit in lucem, face ſua omnibus praelucente Praeſtantiſsimo viro Dominico Georgio: cuius merita, pietatem, doctrinam, ſuſceptos pro Romana Eccleſia labores, famam, decora Tibi iamdudum perſpecta ſunt; cuius quoque exempla Te probe ſecuturum, & laudabiliter impleturum, haud vanus auſpex ſpero.

CA-

CAPVT IV.

Georgiana Disceptatio de LOCATORE SCENICORVM *laudata. Scriptum esse in adlato lapide LOCator, non vero IOCator, perspicue evincitur. Calopodius nominatus in Ara Gruteriana censetur potius* Locator funeris, *quam* Locator Scenicorum. *Ludi Scenici in funeribus. Locatoris Scenicorum officium, quod nam: item Procuratoris Scenicorum. Archimimi, Scenici Graeci & Stupidi adhibiti in Ludis Scenicis Castrensibus, ex Florentinis marmoribus indicantur.*

GEorgianam hanc Disceptationem, sive Diatribam laudavit Celeberrimus Muratorius, & iterum hunc ipsum titulum protulit in novo Thesauro suo veterum Inscriptionum pag. DCLX. I. ubi haec adnotavit: *Hunc etiam edidit Doctissimus Vir Abbas Dominicus Georgius, a Bibliotheca Em. Card. Imperialis, qui & alteram Inscriptionem laudavit a Grutero editam pag.* MXXIV. *num.* 5. *ubi* CALOPODIVS LOCATOR (*uti verisimile est* Scaenicorum) *occurrit; ita ut* Armonius *iste fuisse videatur, ut ita dicam*, Redemptor, *nunc* Appaltatore delle Scene. *Verum alter Romanarum Antiquitatum studiosissimus Vir Franciscus Ficoronius, pro* LOC. *sive* Locator, *legendum ibi esse* IOC. *idest* Iocator *contendit; atque in hanc rem marmor apud se adservari ait, cuius exemplum ad me transmissum heic subiicio.*

2. Ro-

2. Romae, in Museo Capitolino.

P. CAESENNIO. GRATO
IOC. SCAENICORVM
ET ...

Deest penes Gruterum in Capite IV. Indicis Scaligeriani *Locator Scaenicorum*; & *Calopodius* qui LOCATOR dicitur in adlata superius ara sepulcrali pag. 130. recensetur ibidem Cap. VIII. quod ad Artes, Professiones & Negotiationes pertinet: quare operae pretium me facturum censeo, si dum Auctarium conficio ad explanationem huius Inscriptionis, nonnullis quoque observationibus Aram a Grutero adlatam breviter illustrem. Sed dum hanc ipsam Aram ab eodem Grutero editam ex Alciati Codice accurate expendo (nescio an Mediolani effossam, seu potius Romae, adeoque ante Alciati aetatem Roma Mediolanum transvectam) perspicue eam favere non video sententiae Cl. Georgii, qui adlato hoc exemplo, ut supra visum est Cap. II. ostendit fuisse apud Veteres *Scaenicorum Locatores*, qui Scaenicis Artificibus mercedem constituebant conducto Theatro: quin potius, quum idem Calopodius *Locator* tantum dicatur, lubentius crederem eum Locatorem fuisse funeris (cuius officii meminit Plinius Hist. Nat. Lib. VII. Cap. LIII. edit. Hard.) sive funebris pompae impensarumque pro sepultura Theocriti Pyladis Pantomimi, non vero

 Sce-

Scenicorum ; nam quum memoriam ponere eorumdem Scenicorum Grex Romanus vellet, idem Calopodius rem funeraticam curasse videtur; ideoque, ut monebam, LOCATOR tantum dicitur, nec subditur SCAENICORVM. Nec funera tantum, ut docti sciunt, a veteribus locabantur; verum etiam sepulcra ipsa, in quae defunctorum cadavera inferri debebant; cuius vadem exhibeo lapidem Gruterianum pag. DCCCI. 5. in quo scriptum. NEQVE. VLLI. LIQVEBIT. (pro *licebit*) LOCATIONIS. CAVSA. IN. ANNIS. CENTVM. QVANDOQ. TRANSVENDERE *Sepulcrum*, sive *locum Sepulcri*. Quod vero in funeribus Scenici Artifices adhiberentur, & inter hos praesertim Archimimi, testis est Suetonius in Vespasiano Cap. 19. *Sed in funere* PAVO (aliis FAVOR) ARCHIMIMVS *personam eius ferens, imitansque, ut est mos, facta & dicta vivi, interrogatis palam Procuratoribus quanti funus, & pompa constaret, ut audivit HS. centies; exclamavit, centum sibi sestertia darent. ac se vel in Tiberim proiicerent.* Locum quoque & Mimi & Scurrae in funeribus divitum & illustrium virorum habuere, eodem Suetonio auctore in Tiberio Cap. 57. qui pompam funeris praeire solebant. In funebribus hisce ludis spectatores sedebant penulati, quum in aliis togati spectarent, ut observat Kirchmannus de Funer. Lib. IV. Cap. IX. Sed perlubet, PIGNATTELLE ORNATISSIME, ut aliis argumentis constet, in tuam gratiam, illud adnotare, Ludos Scenicos etiam in Castris militum exhibitos multa cum pompa, & adparatu, quorum aut nulla fit mentio apud Interpretes eruditae Vetustatis, aut satis ieiune indicantur, ut apud Pitiscum, qui generice tantum *Ludos Castrenses* memorat, & praeterit Scenicos. Horum

in-

insigne testimonium exstat Florentiae in Hortis Eccellentiss. Principum Corsiniorum in duabus Tabulis, quas protuli in Parte I. Inscript. antiquar. quae in Etruriae Vrbibus exstant; sed haec ibidem non adnotavi ad pag. 125. & sequentes. Scriptae sunt Tabulae duobus Aspris Consulibus, nempe anno V. C. 965. Christi 212. imperante Antonino Caracalla, qui eo anno a. d. V. Kalend. Martias Antoninum Getam fratrem suum in matris gremio occidit. Spectantibus Commilitonibus Cohortium vii. Vigilum solemni spectaculo instituto eorum impensis, acroamata edita sunt, spectatique pariter plures Archimimi, Stupidi & Scenici Graeci, quorum nomina recensentur, a Flavio Iovino in iisdem marmoreis Tabulis scripta.

Perrarum lapidem heic adiicere perlubet, qui ex Arimino translatus est in Museum Veronense curante V. C. Marchione Scipione Maffeio, qui protulit in Tom. iv. Observat. Litter. pag. 358. in quo non tantum Stvpidi fit mentio, verum etiam *Gregis Vrbani*: quod mirifice confert ad illustrationem adlatae arae Gruterianae, in qua Grex Romanvs nominatur; ut hinc colligamus Scenicorum Greges & in Municipiis, & in Coloniis fuisse. Is haec habet.

D M
AEMILIAE
IRENE . QVAE
VIXIT . ANN . XXVI
DIEBVS XIIII
AVRELIVS . EVTY
CHES . STVPIDVS
GREG . VRB . CON
IVGI . KARISSIMA fec.

Sed minime consonat cum veritate quod idem Cl. Maffeius adnotat pag. 373. numquam antea notam fuisse STVPIDI adpellationem; quod etiam iam observavit Par. I. pag. 199. Vir Eruditissimus Comes Io. Franc. Ioseph Bagnolo, in Opere in quo differit de Gente Curtia, & Q. Curtii Historici, eaque occasione plura adfert notatu digna de Mimis, Scurris, Stupidis, Maccis, aliisque Scenicis. Redeo nunc ad Gruterianam Aram, in qua coniicere tantum, haud tamen pro certo habere, ac probare possumus, hunc ipsum Calopodium (si non admittamus Calopodium funeris Curatorem) saltem fuisse Procuratorem Scenicorum. Huius muneris fit mentio in hac Vrnula inemendata in Thes. Murat. pag. CMIV. quae Bononiae exstat in Instituto Scientiarum, teste eodem Cl. Marchione Maffeio O. L. T. V. p. 223.

D M S

HERMIPPO

AVG. LIB. PROC

SCAENIC. VLP

AMANDA. ET. VLP

PRIMITIVA. PAT

B. M. POSVERVNT

Sed in re perobscura nil definio; nec a mea sententia discedo, in Gruteriana Ara designari Calopodium funebris tantum pompae, & impensarum Locatorem, non vero Scenicorum. Alterum marmor eximium exstat in Gruteriano Thesauro pag. CCCXXXI. 4. in quo memoratur L. Surredius Felix Pro-

Procurator ab Scenicis Theatri Imperatoris Caesaris Domitiani, qui etiam cum laude dicitur *Princeps Coronatus contra omnes Scenicos*; idque contigisse lustro Capitolino, seu Agone in commissione Poëmatum, uti Scaliger de Emendatione Temporum Lib. v. arbitratur. Cl. Ficoronio Antiquorum monumentorum perito multum credam; tamen puto τὸ L in principio, quia forsitan transversa linea pro basi non parum caret, ei visum esse referre I; adeoque legendum is putavit, non LOCATOR, sed IOCATOR. *De Iocatoribus Scaenicis* nullam nec in vetustis saxis, nec in veteribus Scriptoribus mentionem factam adhuc invenire potui. Adde quod si marmor haberet IOCATOR, non subiungendum erat SCAENICORVM; sed forte SCAENICO. Videtur igitur probabilior Cl. Georgii sententia, qui primus dum lapidem hunc perrarum vidit, exscripsit LOC. hoc est *Locator Scaenicorum*, non vero IOCATOR, quod vocabulum a nullo antiquorum Scriptorum, ut video, usurpatum, forte eius menti obversatum auguror. Apud Ciceronem Lib. IV. ad Atticum Epist. 16. qui σκῶς facit, *Ioculatorem*, non vero *Iocatorem* adpellat. Sed in describendo hoc titulo ingenue fassus est Cl. Ficoronius se facile I, pro L exscripsisse, quod in basi perparvum crus illud L vidisset, ut adnotat in Opere *de Personis Scaenicis* Cap. XLV. pag. 126.

CAPVT V.

Rursus reiicitur lectio locatoris Scenicorum, *atque aliis monumentis evidenter declaratur scriptum esse in adlato lapide* LOCATOR SCAENICORVM.

SED omne prorsus, quod in hoc novitio vocabulo admittendo oriri posset inter Archaeologos dissidium, dirimit alterum eximium ac perrarum marmor, nunquam antea editum, quod erutum est secus viam Appiam anno MDCCXL, quod penes Fossarium sine Excavatorem, ut aiunt, vidit, & diligentissime exscripsit amicus meus, tuus optimus Praeceptor, Vir Praeclarissimus D. Petrus Aloysius Gallettius, multa cum laude semper nominandus, & recensuit in suo *Diario Epigraphico* ab anno MDCCXLI. ad alterum sequentem, quod mihi in lucem proferendum humanissime tradidit, continetque fere CCL. antiquas Inscriptiones adhuc ineditas, quas ipse Romae ex abditis locis, & hortis eruit, & ubique investigavit, atque *αὐτόπτης* peraccurate exscripsit, adnotatis locis, ubi inventae sunt, quod valde utile censetur, & quidem in ipso flore iuventae, emenso hoc aliisque pluribus laboribus ad ornandam, iuvandamque litterariam Rempublicam, antequam Monachi Casinensis habitum in hac Florentina Abbatia indueret; quod quidem *Diarium Epigraphicum* in proximo SYMBOLARVM volumine locum habebit.

Ita

Ita igitur ſe habet :

A . MAMMIVS . A . F . SEVERINVS
LOCATOR A SCAENA VIX ANN.
XXXII . MEN. VII. D. XII. HOR. VII.
VALERIA RVFINA MARITO SVO
DVLCISSIMO CVM QVO VIXIT ANN
XII. MEN. V. D. VII. ET L. MAMMIVS
SEVERINVS CAESARIS N̄ . AVG .
A RATIONIBVS FRATRI CARISSIMO
FECERVNT BENEMERENTI

Vides igitur ex praenotatis, ut vela colligam, mi PIGNATTELLE, minime dubitandum eſſe de genuina lapidis Georgiani lectione, in quo certum eſt ſcriptum eſſe, adeoque aliis adlatis exemplis legendum LOCATOR SCAENICORVM; non vero ut Ficoronius contendebat IOC*ator* SCAENICORVM; quam lectionem mirifice comprobat adlatus titulus ſepulcralis A. Mammii Severini, qui fuit LOCATOR A SCAENA: & ne controverſiis pateat locus, vides non compendiariis litteris ſcriptum eſſe IOC, ſed LOCATOR A SCAENA. Quum magna ſit celeberrimi Muratorii auctoritas, qui ex ſide Cl. Ficoronii marmor habere ſcripſit, & edidit IOC. non vero LOC. probe me facturum cenſui, ſi veram marmoris lectionem adſererem, & haec pauca pro Auctario ſubciſivis horis ad te, egregie Adoleſcens, perſcriberem.

CAPVT VI.

A Locatore Scenicorum diversum censetur munus Redemtoris Scenicorum.

CVM titulo *Locatoris Scenicorum* connexionem quandam & adfinitatem habet perrarum marmor Musei suburbani Strozii, quod a me editum vide in Parte I. pag. 390. num. 154. Inscript. Antiq. Etruriae Vrbium; in quo P. CORNELIVS. P. L. PHILOMVSVS, dicitur PICTOR SCAENARIVS. IDEM REDEMPTOR. Ex alio lapide apud Fabrettum Inscript. Dom. Cap. II. num. 90. pag. 78. notus est PECVLIARIS REDEMPTOR PROSCENI. Ita scribendum esset, *Scena*, *Scenici*, *Proscenicum*; sed, ut vides, frequenter scripserunt Veteres cum AE contra analogiam originis; nam Graecis Σκηνὴ, *Scena*, a Σκιὰ *umbra*, quasi *umbrosa*, *umbratilis*; nam ex arborum frondibus primum Scena exstructa est. Cl. Muratorius in adnotatione, quam adiecit sepulcrali titulo Q. Gavii Armonii, quam supra exhibui pag. 160. censet idem fere importasse apud Veteres *Locator Scenicorum*, ac Redemptor, nunc *Appaltatore delle Scene*; qui apud Florentinos, Scenicis praeter modum deditos, & spectaculorum studiosissimos, dicitur *l' Impresario*, qui pacta mercede Musicos tum mares tum feminas, & Psaltrias, ac Saltatores & Citharoedos, & Tibicines conducit; quam ex pecunia indicta Spectatoribus colligit, atque ipsis solvit. Profecto apud Festum, & Glossas veteres *Redemptor*, idem valet, ac *Conductor*, *Exceptor*, ἐργολάβος, ἠκλέμπτωρ, Sed apud Romanos duo fuisse mu-

ne-

nera colligimus, quae ad ſimilem fere rem, ſed diverſis officiis ſpectabant. In Gruteriano marmore pag. CCCXXXI. 2. quod mancum in vertice puto, licet ita non exhibeatur, cum Stratone Comoedo, & Ibyco Pſalte, duo Sumptuarii nominantur Chreſtus, & Tarentinus: qui, ni fallor, ſumptus pro peculiari Scenico adparatu totius Choragii, & ſingulorum ſpeculandorum in Theatro faciebant.

CAPVT VII.

Idem ſepulcralis titulus Q. Gavii Armonii Locatoris Scenicorum a Cl. Georgio adlatus illuſtratuſque, rurſus emendatior producitur, & tempus, quo effoſſus eſt adnotatur. Rogatoris a Scena, & Deſignatoris munus.

DElendus adhuc supereſt alter non levis ſcrupulus, qui ſupereſt in conſtituenda genuina huius vocis lectione; nam facile erit aliquis, qui dicat, aut ſuſpicari poſſit in adlato lapide A. Mammii Severini ſcriptum eſſe non LOCATOR A SCAENA, ſed ROGATOR A SCAENA, adlata auctoritate alterius tituli ſepulcralis penes Cl. Ficoronium in Muratoriano Theſauro pag. DCLX. 3. qui haec praefert:

M. VIPSANIVS
NARCISSVS
ROGATOR AB SCAENA

Sed aliud eſt munus LOCATORIS A SCAENA, aliud ROGATORIS A SCAENA: de quo quum per epiſtolam ſententiam meam rogaſset Cl. Ficoro-

coronius, respondi (quod ipsum retulit in praelaudato Opere *de Personis Scenicis* Cap. LV. pag. 149.) eum forsitan esse, qui adparatum Scenicum, vestes, & alia ad Scenam pertinentia mutuo conquirebat, accipiebatque, ut praeberet Artificibus Scenicis, indicato Horatii insigni loco Lib. I. Epist. VI. vers. 40.

———— chlamydes Lucullus, ut aiunt,
Si posset centum SCENAE *praebere* ROGATVS;
Quoi possum tot, ait? tamen & quaeram, & quot habebo,
Mittam. Post paullo scribit sibi millia quinque
Esse domi chlamydum.

Haec quoque tunc adnotavi in Par. II. Inscr. Antiq. quae exstant in Etruriae Vrbibus pag. 30. num. 34. adlato hoc ipso titulo, in quo in fine eiusdem Partis corrigendum monui, scriptum esse VIPSANIVS, & protuli cum aliis titulis sepulcralibus, quos ad me Cl. Ficoronius actutum se missurum spem fecerat, quam, contrarium iubente Pontifice Maximo, mox non implevit. Si qui vero est, cui adlatus Horatii locus non faciat satis, expendendum proponam, num *Rogator a Scaena* is esset, qui ad Scenicos usus necessaria emebat; vel potius stipem a Spectatoribus colligebat, quae pro mercede daretur iisdem Scenicis Artificibus, vel Locatori Scenicorum, qui eos pacta mercede conduxerat. Spectatoribus etiam, qui stipem dederant, tesserae theatrales dabantur, (quas integro corpore cum reliquis collectas aliquando depromendas curabo) quod munus hi Rogatores a Scena praestare poterant. Igitur, ut in viam revertar, diversum munus exsequebatur *Rogator a Scaena*, & *Locator a Scaena*;

qui

qui idem ſignificat ac *Locator Scaenicorum* ; & ab his quoque diverſi erant Locarii , qui loca commoda , & meliora in ſpectaculis , & Theatro quum occupaſſent , ditioribus certo pretio locabant, quos a Deſignatoribus diverſos fuiſse oſtendit Raderus in illud Martialis Lib. v. Epigr. 25.

Hermes divitiae Locariorum .

Porro is erat *Deſignator Scenarum* ,cuius ſit mentio in Gruteriano marmore pag. CCLXX. 6. qui , ni fallor , Scenis praerat , & curabat, ut omnia cum ordine procederent , & Scenici Artifices quando oportebat , prodirent . Erant quoque Deſignatores , qui loca in Theatro deſignabant, monſtrabantque tum divitibus , tum pauperibus deſtinata , de quibus Taubmannus in Plautinae Aululariae Prologo verſ. 19. quem vide .

Sed his praemiſſis , atque expoſitis , ne dubitatio ſuperſit ulla circa genuinam marmoris ſcripturam , irrefragabile teſtimonium adfero egregii illius Antiquarii , & Pictoris Petri Leonis Equitis Ghezzii, qui anno MDCCXXXI. Romae inciſos XL. aereis Tabulis erutos titulos ex compluribus Columbariis , ac praeſertim ex celebri illo Libertorum , & Servorum Liviae Auguſtae , vulgavit , atque huiuſmodi opus eidem Eminentiſs. S. R. E. Cardinali de Polignac dedicavit Laurentius Philippus de Rubeis . Hic ipſe titulus emendatior ita exhibetur in Tab. XXXVII. num. 8.

Q. GAVIVS ARMONIVS
LOC. SCAENICORVM
VIXIT ANNS XXIIII M. VI

CAPVT VIII.

Ara Gruteriana a Cl. Georgio edita, ut alio exemplo probaret Locatoris Scenicorum munus ſive officium, rurſus adfertur accuratior, expenditur, & breviter illuſtratur. Oſtenditur, IONA, *&* TROADAS, *quae in lateribus arae ſcripta ſunt, haud eſſe Hiſtrionum nomina; ſed titulos Tragoediarum Euripidis, quas Theocritus Pylades Pantomimus, aut geſticulationibus, aut ſaltibus exhibuit. Diſcrimen inter Tragoedos, Comoedos, Mimos, Pantomimos. Qui nam Paraſiti. Error doctorum Virorum, qui eamdem Aram Gruterianam ſepulcralem Florentiae exſtare ſcripſerunt.*

MEntio apud Horatium chlamydum Scenicarum, me monet, ut ad aram a Grutero adlatam revertar. Cl. Georgius in Opuſculo ſuo eam parum accurate edidit, & praetermiſit SVI TEMPORIS PRIMVS: ego ibidem pag. 130. accurationem ſubſtitui. Sculptae in utroque latere ſunt duae figurae chlamydatae, quarum alteri a dextris ſupra ſcriptum eſt Litteris Latinis IONA; alteri vero a ſiniſtris TROADAS, & ſubiecta virilis figura dextra manu, brachioque exerto nudoque tragicam perſonam incomtis crinibus, ſparſiſque adtollit; non vero, ut aliquibus viſum eſt, radiatum Solis caput, ſiniſtra haſtam tenet. Eximius Praeſul Georgius cenſuit IONA, & TROADAS eſſe nomina Hiſtrionum: qua in re, pace dixerim tanti viri, perſpicuum eſt valde hallucinatum eſſe. Nam dubio procul IONA, & TROADAS indicant Euripidis Tragoedias duas eodem cum titulo, quae exſtant, &

ad

ad nos pervenere: quumque accusandi casu scribantur, credibile videtur, subintelligendum esse *docuit*, *egit*, aut aliquid simile; nempe quod Theocritus Pylades Pantomimus in his exhibendis magnum sibi nomen fecerit. Prior imago feminam referens cum superposito titulo IONA, apud Euripidem inscribitur IΩN, & vultu gravi in hac ara expressa est; altera vero terrorem spirans, exhorrescentem tragicam personam ostentans, virum hasta insignem refert, adeoque Euripidis indicat Tragoediam, quae apud eumdem ΤΡΩΑΔΕΣ inscribitur. Illud a Mediolanensibus doctis optandum, ut accuratius a Pictore perito hae figurae delineentur, & menda quaedam, quae in eadem Inscriptione occurrunt, deleantur, ut omnia accuratius illustrentur. Vtinam id ego facere possem? Non desunt Scriptores primi subsellii, fama nominis, & antiquarum rerum studio celeberrimi, qui hanc ipsam aram Florentiae exstare scripserunt. Quam eximia laus Florentinis adcederet, si id certo constaret, & hinc arguere possemus auditas Florentiae Euripidis Tragoedias insignes, quarum tituli scripti in ea sunt, & spectatum Theocritum Pyladem Pantomimorum sui temporis primum, summis honoribus ornatum a splendidissimis Italiae civitatibus, indeque constaret tam remotis temporibus apud Florentinos Graecorum Poetarum studium valde floruisse! Verum decepti sunt, ut etiam in secunda Gruteri editione adnotatur, praeclari Viri Borsuerius, qui addit: *Nunc apud Florentias ad S. Iosephum*; idem Graevius; & Thomas Bartholinius scribit: *sibi visam Florentiae in Palatio Marchionis Firenza*, quod etiam Gudius adfirmat. Verum aetate mea nunquam vidi, & maiores nostri priscorum monumentorum Colle-

cto-

ctores si vidissent, proculdubio vel memorassent, vel exscripsissent; quare perspicuum est errorem ortum vel a loco, vel a possessore, cui nomen Florentiae persimile.

CAPVT VIIII.

Euripidis Tragoediae summo in pretio fuere: tituli earum in marmoribus scripti. Marmora & Hermae Homeri, & Euripidis ornamenta Museorum antiquorum. Deletum mendum in adlato marmore penes Cl. Muratorium in novo Inscriptionum antiquarum Thesauro. Euripidis Tragoediae cum Romae, tum in splendidissimis Italicae Civitatibus recitatae.

HVnc Theocritum Pyladem floruisse intelligimus, quum duo Augusti Caesares Romani orbis imperium tenerent; nam AVGG. LIB. hoc est *Augustorum Libertus* scribitur. Facile intelligeremus, qui fuerint Imperatores illi, quibus imperantibus floruit, si gentis & familiae eorum nomen praeferret. Tamen sive floruit sub Vespasianis, sive sub Antoninis; hinc facile intelligimus quam celebre fuerit apud Romanos, vel etiam apud Mediolanenses Euripidis nomen, cuius Tragoediae maxima voluptate, maximoque plausu audiri, & recitari solebant. Tituli quoque Tragoediarum, quas scripsit, marmoribus adnotati ad perpetuam posterorum memoriam, quanto in honore esset Euripides ostendunt. Exstat eius nominis, & clariratis alterum insigne monumentum, nempe nomina, seu tituli Tragoediarum, quas scripsit, quod utinam integrum, non vero in fine mutilum ad nos pervenisset! Catalogum hunc Tra-

Tragoediarum eius alphabetico ordine ſcriptum ad me miſit Cl. Ficoronius, dum viveret mihi amiciſſimus, quem quum editum videam in novo Muratoriano Theſauro pag. DCIX. 1. aegre me ipſum cohibeo, ut hic rurſum depromam. Verum menda quaedam delenda cenſeo, quum in archetypo, quod idem Ficoronius una cum Hermaea imagine Euripidis dono dedit Muſeo Collegii Romani Kircheriano, non habeantur; quod colligo ex accurato apographo, quod ſtatim ad me idem Ficoronius per epiſtolam, ut frequenter ſolebat, miſit. Siquidem in linea 9. non ΜΕΣΑΝΔΡΟΣ, ut habet Muratorius, ſed ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ſcriptum tradit idem Ficoronius; qui hanc ipſam genuinam ſcripturam mihi confirmavit, iterum exſcripto eodem Catalogo, una cum omnibus Inſcriptionibus erutis in Columbariis Romanis ab anno MDCCXXXIII. uſque ad annum MDCCXXVII. ac praeſertim in Conditorio Arruntiorum, cuius picturas, & ſpectatu digna monumenta mecum humaniſſime communicavit. Hunc ipſum Catalogum idem nuper, paullo ante obitum ſuum, evulgavit pag. 104. Operis ſui, cui titulus: *Memorie ritrovate nel Territorio della prima, e ſeconda Città di Labico*; in quo, non ut apud Cl. Muratorium ΜΕΣΑΝΔΡΟΣ, ſed geminatis Σ Σ pro Ξ, typothetarum plane incuria, ſcriptum eſt ΑΛΕΣΣΑΝΔΡΟΣ pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ, quo Paris ille Troianus, qui nomen Euripidis Tragoediae fecit, declaratur. Locum, in quo eximium hoc marmor inventum eſt initio anni MDCCIV. mihi accurate deſcripſit, &, ut video, uberioribus notitiis, quam in praelaudato Opere fecerit; quare eas haud praetermittendas cenſui. Ita igitur ſcribit: *E' da ſapere, che nell' Eſquilino,*

dopo

dopo la Chiesa di S. Antonio de' PP. Francesi, vi siegue parimente a sinistra un Orto, che a pochi pussi termina nella Piazza di S. Giuliano, e S. Eusebio; il cui muro di quest' Orto si vede fabbricato sopra grandiosi Portici, che sono alla vista, benchè quasi sepolti da scarichi di terra. Nel fabbricarsi sul principio dell' Orto un Casino di forma bisbetica, vi si trovò un Erma di Omero, che io non potei comprare. Indi poi scavandosi vicino, per ricerca di materiali da fabbricare, trovossi un Portico tutto ornato di pitture, il marmo scritto delle Tragedie d' Euripide, e il di lui Erma, ambidue cose da me compratevi. Le pitture per altro erano di piccole figure, e rabeschi, quasi simili a quelle, che ancor si vedono in un Portico del Palazzo di Tito, delle quali ebbi occasione di parlare nella mia Operetta delle Vestigia di Roma alla pag. 105. dove accennai i Portici di altri grandiosi Edifizj, che recano stupore a chi gli considera; fra i quali sono quegli della Villa Tiburtina di Mecenate, da me rammentati alla pag. 22. della mia Lettera delle Singolarità di Roma, e sue Vicinanze, stampata dal Salvioni l' anno 1730. Potrebbe forse credersi, che il predetto Portico pieno di Pitture, e di varj Sepolcri in detta Contrada dell' Esquilino, siano residui della Villa di Mecenate; tanto più, che il sito è il più ameno della pianura di detto Colle, in cui fosse donato di abitazioni Orazio Flacco dal suo Mecenate, il quale a guisa di Museo può congetturarsi, che conservasse per memoria i Ritratti in marmo de' due famosissimi Poeti Omero, ed Euripide con altri ancora da esso stimati; e del secondo facesse registrare in marmo i titoli delle Tragedie: del qual marmo feci

dono

dono unito ad altri di erudizione alla Galleria Kircheriana, e l' Erma di Euripide ora si ammira nel Tesoro Capitolino.

CAPVT X.

Eadem percelebris Mediolanensis Ara illustrata ab Iosepho Scaligero, & Claudio Salmasio. Excerpta ex eorum Commentariis adlata. Cl. Georgii sententia, quod eadem Ara duobus Pantomimis dedicata sit, iterum reiicitur.

RVsticanti Cl. Georgio, dum hanc Disceptationem exararet, ad manus non fuere observationes, quas summi viri Iosephus Scaliger, & Claudius Salmasius congessere in hanc Aram Mediolanensem Theocrito Pyladi positam, e quibus pauca quaedam excerpta, si heic proferrem, adiectis nonnullis adnotatiunculis meis, operae pretium me facturum censui. Scaliger disserendi de Pantomimis occasionem adripuit, dum ageret de Pylade Cilice Pantomimorum primo, quem Augustus, Dione teste, ex Asia Romam evocavit. Eius meminit Eusebius in Chronic. poster. Olymp. CLXXXIX. *Pylades Cilix Pantomimus, quum veteres ipsi canerent, & saltarent, primus Romae chorum, & fistulam sibi praecinere fecit.* Mediolanense hoc Epitaphium tanti fecit idem Scaliger, ut elegantiorum ingeniorum disquisitione, quae in eo leguntur, digna censuerit; addens: *nam plurima in hunc lapidem, non vulgaria dici possunt: imo iustus Commentarius edi.* Primum, ut exordiamur a figuris in eodem marmore opere anaglypho sculptis; figuram illam proculdubio mulierbem in dex-

tro latere expreſſam (perperam ille ſiniſtram dicit: ni intelligat, quae ad ſiniſtram occurrit manum reſpicientis) quid referat ſilet, nec deſcribit; titulum tantum notat ſupra eius caput inſculptum, nempe IONA: alteram vero figuram in dextro latere (id eſt arae ſiniſtro) ait referre mulierem barbaro habitu, quae perſonam, ſive larvam Solis dextra, ſpiculum ſiniſtra gerit; ſupraque eius caput ſcriptum TROADAS, & SVI TEMPORIS PRIMVS. Hos titulos monet ſignificare, hunc ipſum Theocritum Pyladem viciſſe Τρωάδας, καὶ Ἴωνα Ευριπίδȣ. Claudius Salmaſius palliatam illam figuram, cui ſupra ſcriptum eſt IONA, virilem cenſet; quod ipſum ſchema mihi conſpicienti non adparet; ſed muliebris videtur effigies: alteram ſcribit chlamydatam, ornatam lancea; ſed de his iudicium proferre ſuperſedeo, expectandumque cenſeo donec accuratius hae figurae a doctis Mediolanenſibus nobis offerantur. Certe Scaligero larvam Solis deſcribenti non adſentior; ſed adfirmo perſonam illam ita fuſis ſparſiſque hac illac capillis expreſsam, ut Tragoediae, in qua Troades mulieres plorantes, & ululantes horrifice ab Euripide introducuntur, nempe thema tragicum referat, vel indicet. Huic adſimiles aliae perſonae in Ficoroniano Opere *de Perſonis Scenicis* occurrunt Tab. XLII. XLIII. XLIV. & LIV. & in ſequent. quae horreſcentibus capillis ſculptae ſunt. Neque dubium eſt per eos titulos figuris hiſce adſcriptos, ſignificari Theocritum hunc Pyladem Auguſtorum Libertum Pantomimum, in his duabus Euripidis Tragoediis ſaltandis, geſtibuſque, ac corporis motibus exprimendis, *Ione*, & *Troadibus*, cum alios omnes, tum ſeipſum viciſse, & ſui temporis primum praeconis voce declaratum fuiſse, meritiſ-

tiſque laudibus, & honoribus decoratum; quum ex ipſo elogio perſpicuum ſit in his Tragoediis ſaltandis, quum nutu, manibuſque mire loquax eſset, primas tuliſse, atque prae omnibus excelluiſse.

Idem Scaliger Inſcriptionem Mediolanenſis Arae exhibuit, & quadratarii ſphalma notavit, qui ſcripſit THEOCRITI pro THEOCRITO. Quod vero hic cernimus eumdem Theocritum Pyladem adpellatum Auguſtorum Libertum (forte ad tempora Impp. Lucii Veri Commodi, & M. Aurelii Antonini pertinere cenſendus eſt) minime credendum eſt duo nomina in ortu ſuo obtinuiſse; nam primum, quod eſt proprium, luſtrico die eidem impoſitum; alterum vero ex profeſſione, ſucceſſione, & ex arte ei obvenit. Nam quum arte ſaltandi ſub Auguſto Pylades, & Bathyllus omnium eminentiſſimi fuiſsent, & Saltationis praecepta nova antea penitus incognita dediſsent, & in Orcheſtra Latina Pantomimos a Tragoedia, & Comoedia ſeparatos oſtendiſsent, ut idem Salmaſius ex Suetonii loco apud Diomedem Grammaticum obſervat; qui ex eius ſchola prodierunt, eorum nomen poſt proprium tulerunt; quare multi in vetuſtis marmoribus Pantomimi PYLADES adpellati leguntur, quos idem Scaliger recenſet; qui & *Diſcipuli* nuncupabantur, fueruntque duae Familiae, ſeu Factiones perpetuatae *Pyladarum*, & *Bathyllorum*; nam omnes Pyladae Tragoediarum, Bathylli Comoediarum Saltatores fuere: quod, praeter antiqua marmora, docet L. Seneca Natur. Quaeſt. Lib. VII. Cap. ult. *At quanta cura laboratur, ne cuius Pantomimi nomen intercidat? Stat per ſucceſſores Pyladis, & Bathylli domus. Harum multi Diſcipuli ſunt, multique Doctores.* Hylas inter

ter primos Pyladis discipulos memoratur, qui coram ipso Pylade canticum quoddam, Agamemnonem exprimens, saltavit. Pylades Saltationis Italicae auctor fuit, de qua etiam librum reliquit; quae licet mixta esset ex Tragica, Comica, & Satyrica; tamen non confundebantur, sed singulae seorsim iuxta leges desaltabantur, & in qualibet specie Factio instituta, quam ad Discipulos suos, & artificii per longam seriem Successores, uterque transmiserunt. Pyladea saltatio gravis, seria, fastuosa, superciliosa, & affectuum plena, & Tragica tota, ut idem Salmasius observat. Eius ὑποθέσεις, antiquorum Poëtarum Tragoediae, Deorum, Heroumque facta: personae, ut in Tragoedia Divi, Duces, Heroes, & Reges: Bathyllea contra, hilaris, iocosa, pedestris, quae tota in rebus laetis versaretur, & risum in spectatoribus excitaret, Saltationibus, & corporis motibus moderandis adhibebantur Tibicines, cuius illustre exemplum in Comica Scena exhibet Cl. Ficoronius ex antiquis marmoribus Tab. II. & III. in Opere *de Personis Scenicis*, ex quibus in Comoediis feminas quoque adhibitas, quae tibiis accinerent, & praecinerent cernimus, & ex alio exemplo ibidem Tab. XLII. discimus.

Sed Pyladeis saltationibus plures accinuisse, & praecinuisse tibias, constat ex Luciani loco, quem adfert Salmasius, in quo Pantomimum saltantem Aiacem furiosum pingit: Pyladi saltanti Choraules praecinebat cum Choro. Praeter tibias, fistulas, & Chorum saltantibus Pantomimis praecinentes, addit etiam citharas Lucianus de Saltatione, & cymbalorum crepitum, & scabillorum sonitum: quae omnia accuratius exponenda, & illustranda erunt,

erunt, si otium quandoque erit, & aderunt vires, ut uno Corpore complectar Theatrales omnes Inscriptiones antiquas, & illustriora figuris insculpta Monumenta, quae Theatrum, & antiquam Scenam illustrant.

Quamvis autem Claudius Salmasius Scaligero non adstipuletur, quod Theocritum Pyladem existimaverit vicisse Euripidis Τρωάδας, καὶ Ἴωνα, quod minime ἐναγώνιος erat ars Pantomimorum; tamen constat ex antiquis epitaphiis, eos donatos Hieronicarum adpellatione, & non tantum coronas obtinuisse, verum & interdum palmis, & ramusculis donatos, exemplo eorum, qui in sacris certaminibus vicerant. Praemia haec Tragicis, Comicis, & Satyricis Pantomimis data testantur antiquae Gemmae editae a Cl. Ficoronio in laudato Opere, quas vide in Tab. XXXVII. & XXXVIII. quarum altera onychi inscalpta; altera vero sardae. Sed de honoribus in Pantomimos liberalitate effusissima conlatis, in sequenti programmate nonnulla adtingam.

Superest ut heic expungam Cl. Georgii sententiam, qui §. II. suae Disceptationis censet, Gruterianam Aram Mediolanensem, quam adducit, ut supra vidimus, positam esse duobus Scenicis Artificibus, *Curante Calopodio Locatore*; idque, ut opinor, colligit, quod in ea scriptum sit THEOCRITI (pro THEOCRITO) AVGG. LIB. PYLADI: vel potius, quia in Arae lateribus ea nomina IONA TROADAS censuit esse Scenicorum defunctorum. Sed manifestum est eum hallucinatum esse; nam defuncti huius, cui praeclarum hoc monumentum positum est, nomen proprium, ut diximus, fuit THEOCRITVS; alte-

rum vero, quod ex schola, professione, familia, & successione obtinuit, fuit PYLADES; quod siquidem ex Pyladeis Discipulis, & Successoribus ipse sui temporis primus fuerit. Comici quoque eodem honore adfecti, & ipsi quoque dicti *Primi sui temporis*.

CAPVT XI.

Pantomimorum primatus, honorificae Scenicorum adpellationes, praemia, munera, dignitates, Decurionalia ornamenta decreta, statuae, coronae, elogia, plausus, divitiae iisdem effusissima liberalitate dono datae. Pantomimi aheneum signum elegantissimum, numquam antea editum, adfertur, & nonnullis observationibus illustratur.

ITerum me vocat Ara sepulcralis ornatissima adlata in Gruteriano Thesauro pag. MXXIV. 5. ut nonnulla non levis momenti luculentius expendam. Eruditissimus GEORGIVS, qui eam protulit, praetermisit elogium, quod ego restitui in coronide superiori in sinistro eiusdem Arae latere: nempe SVI TEMPORIS PRIMVS. In alio marmore eiusdem Thesauri pag. MXXXV. 10. C. Iulius Augusti Libertus Prior Pantomimus dicitur. Eundem primatum sortiebantur Parasiti, Tragici, & Comici. Inter hos & Mimos, & Pantomimos illud intercedebat discrimen, quod Tragici Tragoedias, & Comici Comoedias recitabant; Mimi vero, & Pantomimi eas loquacibus gestibus, manibus, motuque corporis, & aptis ad rem vestibus armisque exprimebant. de quibus luculenter Iul. Caes. Bulengerus de Theatro Lib. I. Cap. LII. & nuper doctissimus Io. Benedictus Carpzovius in Parad. Stoic. Arist. Chii de Histrionibus.

Cur

Cur vero ea praecipua laudatio Theocriti Pyladis seorsim scripta sit, non vero, ut in multis aliis monumentis in ipso Inscriptionis, ut ita dicam, corpore, me plane latet. Coniicio tamen id factum, quum idem Theocritus Pylades bene acta Euripidis Tragoedia, cui titulus TROADES, primas tulit, & tunc facile meruit, ut PRIMVS SVI TEMPORIS diceretur, adeoque inter Pantomimos principem locum teneret; quare ad eius praestantiam declarandam imago illa sculpta est sub titulo TROADAS, ut auguror, quae Tragicam personam extollit. Hinc etiam ex eiusdem Arae anaglypho laevi lateris discimus Pantomimorum Tragicam vestem fuisse variegatam, variisque coloribus, atque adsutis laciniis contextam, quod alibi ex vetustis monumentis luculenter ostensum est. Spectata Pantomimorum virtus magnificas laudes adsequebatur, adeo ut non solum *Primi sui temporis*, sed etiam *honorati*, *&* *maximi Pantomimorum* diceretur. Coronas quoque consequebantur, quoties spectati placuissent. In Donianis Cl. IV. 53. HIERONICO BIS. CORONATO. ET. DIAPANTON. Marcus Vulpius Apolaustus duodecim vicibus coronatus est, quod sequens Epigr. penes Gruterum p. CCCXXXI. 6. indicat:

M. VLPIVS. AVG. L. APOLAVSTVS
MAXIMVS. PANTOMIMORVM
CORONATVS. ADVERSVS. HISTRIONES
ET. OMNES. SCENICOS
ARTIFICES. XII

Summum quoque decus obtinuisse censebantur, quum adpellarentur ARCHIMIMI: qua honorifi-

ca adpellatione plures memorantur in marmoribus Gruterianis pag. CCCXXX. 2. & MLXXXIX. 6. ubi L. Acilius EVTYCHAE (legendum videtur EVTYCHES) NOBILIS quoque honoris caufa adpellatur; quem Bovillenfes, imperante M. Aurelio Commodo Augufto, Decurionalibus titulis, munere, & ornamentis condecorarunt, & omnium in Curiam Adlectorum *Patrem* nuncuparunt. Idipfum quoque noftra aetate contingere videmus, effufo nimis in otium, mollitiem, & caeleftium divinarumque rerum ignoratione paene deftituto lautiorum hominum coetu, quum Muficorum greges, & Pfaltriae nimis impudicae tantopere amentur, donis immenfis donentur, & ad caelum ufque cum naufea encomiis evehantur. Adeo enim, corruptis aeternae Vrbis moribus, colebantur Pantomimi, ut primos honoris gradus in Senatu omnium fere Italiae civitatum obtinerent: infanientibus mirum in modum his potiffimum, qui Rempublicam adminiftrabant; neque etiam eos indignos Sacerdotalibus muneribus, & dignitate cenfebant, tefte hoc lapide dedicato a Senatu Populoque Lanuvino M. Aurelio Acilio Augufti Liberto: quod factum cernimus, ut Caefari Augufto M. Aurelio Commodo Imperatori, a quo productus fuerat, & Fauftinae, cuius Alumnus dicebatur, adularentur, atque eo facilius eorum gratiam, & favorem inirent, ut legitur in fequenti eius elogio penes Gruterum p. CCCXXX. Infcriptio marmoreae bafi infculpta, cui fuperpofitam fuiffe eiusdem Pantomimi ftatuam minime dubitandum eft: nam & apud Athenienfes, tefte Paufania in Atticis, Comoedorum, & Tragoedorum ftatuae in Theatro pofitae fpectabantur.

M. AVR.

M. AVR. AVG. LIB
ACILIO. SEPTENTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. PRIMO. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M.
AVREL COMMODO *. ANTONI
NO. PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT.
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANIVINVS

Schedae Pighii habent ALLECTO. INTER. AVGVSTALES. In latere dextro basis eiusdem, quae declarat ei Statuam dedicatam fuisse cum hoc adiecto elogio, adnotantur Consules L. Cossonius Eggius Marullus cum Cn. Papirio Aeliano, nimirum anno V. C. 937. Chr. 184. ni ad alterum annum sequentem V. C. 940. Chr. 187. quo iterum Consul fuit idem Cn. Papirius Aelianus, scriptam positamque hanc basim dicamus.

Perraram atque oppido insignem perlubet heic adferre imaginem ex aere faberrime factam antiqui PANTOMIMI, cui similem nec video adlatam in Opere Cl. Ficoronii *de Personis Scenicis*, nec

* *Erasum Commodi nomen, & postea maioribus litteris restitutum.*

In fin. LANIVINVS, *pro* LANVVINVS.

nec apud alios, ni fallor, egregios Antiquitatum Interpretes. Ea huiuſce magnitudinis olim exſtabant Florentiae in Muſeo pulcherrimo Ioannis Nardii Viri Eruditiſſimi, qui Lucretium Carum Commentario illuſtravit, atque in eius Operis fine non pauca edidit Monumenta praeſertim antiquorum Aegyptiorum, de quorum funeribus pereru-dite diſſeruit, quae poſt eius obitum, ab heredibus vendita, in alia Florentina Muſea migrarunt, praeſertim Dominorum Cerretaniorum, Morelliorum, & non pauca etiam a me redemta meis Cimeliis adiecta ſunt. Quam elegans ſit imago haec Pantomimi, haud ſatis facile explicari poteſt. Cernimus eius caput inter vittas roſis (ut reor forſitan aureis intertextis) coronatum. Pantomimorum coronae, quam ornatae eſſent, quoque artificio quibuſve ornamentis compoſitae, hinc perſpicue colligimus. Vultum perſona tectum habet pallenti hiatu, quo vox maximo ſonitu ad Spectatorum aures perveniret. Pallio ornatur, ſedetque in baſi, qua ſpecie, & Comoedi quoque in Gemmis ſculpti, & in aereis ſignis apud eumdem Ficoronium occurrunt praeſertim in laudato Opere Tab. XVIII. XXVII. XXXVII. in quibus quandoque baſes ipſe laureis coronis circumcinguntur.

CAPVT XII.

Feminae Mimae, Archimimae pares fere honores adeptae.

MAximos, atque etiam pares honores feminae MIMAE conſecutae ſunt, quae ſpectatae ſi placuiſſent, tunc *Archimimae ſui temporis primae* vocabantur, teſte marmorea Tabula Theſau-

ſauri Gruteriani pag. CCCXXX. 4. in qua haec leguntur, reſtitutis aliquot litteris, quae ſiniſtrorſum deſunt in eo marmoris fragmento:

FABIA . M . ET . Ɔ . L . ARETE . ARCHIM*ima*
TEMPORIS . SVI . PRIMA . DIVRNA

Heic quoque adnotare lubet laudes omnes aequaſſe ex Archimimis, & Pantomimis primis, ac maximis, itemque ex Paraſitis, & cum his Archimimae DIVRNAE, qui DIVRNI, vocabantur; quod, ut arbitror, ſingulis diebus non ſolum in Theatro, verum etiam in conviviis, in funeribus adhibiti ſpectarentur.

CAPVT XIII.

Corpora Scenicorum. Adlecti Scenicorum breviter adnotati. Expendendum proponitur, utrum Scenici Artifices Collegium Romae habuerint; nam Scabillarios ad Scenam Collegium habuiſſe conſtat.

COllegium utrum ne habuerint Scenici huiuſmodi Artifices, expendendum ſupereſt; nec inconſulte dubium hoc a me proponitur, quum legatur in baſi Gruteriana p. MLXXXIX. 6. poſita L. Acilio Eutycheti, quae inemendatior adfertur p. CCCXXX. 2.

NOBILI . ARCHIMIMO . COMMVN .
MIMOR . ADLECTO . DIVRNO .
PARASITO . APOLL . TRAGICO .
COMICO . PRIMO . SVI . TEMPORIS .
ET . OMNIBVS . CORPORIB . AD . SCAENAM &C.

ex

ex qua colligimus *Commune Mimorum* fuiſſe, in quo qui eandem artem profiterentur, adlegebantur; & Scaenicos, ſive qui ad Scaenam serviebant, in quaedam Corpora adſcitos eſſe; nam in eadem ara ADLECTI SCAENICORVM dicuntur, & recenſentur, iisdemque ſportulae datae memorantur. Ex adlata quoque paullo ſupra Lanuvina Ara in honorem M. Aurelii Septentrionis memoratur Synodus, cuius idem M. Aurelius fuit Sacerdos. In hac ipſa Ara, quam ipſe adnotatiunculis breviter illuſtravi, GREX ROMANVS, qui eam poſuit, & dedicavit Theocrito Pyladi, nominantur; ex quibus nullam Collegii diſertam mentionem factam videmus. Sed alia marmora indicant SCABILLARIOS Scaenicos, ſive ad Scaenam pertinentes (de quibus non pauca adnotavi ad Inſcriptiones Donianas Claſſ. VIII. n. 42. quas, ſi otium eſt) vide. *Scabillarios* vero Collegium Romae habuiſſe, & in plures Decurias connumeratos eſſe docet, ſequens marmor ex Cl. Ficoronio:

DEC. XII.

C. IVLIVS

CYTHISVS

COLLEG. SCABILLARIORVM

Huiuſmodi pereruditam quaeſtionem expendendam relinquo Doctiſſimo Viro DOMINICO BRICHIERIO COLVMBO, Patricio Finarienſi, amico meo optimo, ad bonas litteras iuvandas egregie facto, qui de Collegiis veterum accurate, & luculenter compluribus Diſquiſitionibus diſſeruit, quas mihi in lucem proferendas, pro ſua in me humanitate, & benevolentia tradidit.

Cla-

CAPVT XIIII.

Nonnulla adnotantur in Inſcriptionibus in fine adlatis a Cl. Georgio. Inſcriptio Iulii Valeriani cum imaginibus Retiariorum, iterum pro parergo producitur, memoriae cauſa.

MEO AVCTARIO ut colophonem imponam, ſupereſt, EGREGIE PIGNATTELLE, ut nonnulla ſummis digitis adtingam, quae ſpectant ad ſepulcrales Titulos a Cl. Georgio adlatos, quos ex eodem Conditorio erutos ipſe deſcripſit. Iam ex iiſdem titulis perſpicue vides Conditorium hoc pluribus commune fuiſſe: ſiquidem fere omnes libertinae conditionis, nomina praeferunt familiarum Romanarum *Gaviae*, *Fonteiae*, *Marciae*, *Liciniae*, *Aureliae*, *Bariſiae*, *Tauriliae*, *Fulviae*, *Vibiae*, *Naeviae*, *Hirtiae*. Facili negotio nonnulli Tituli fracti, vel manci inſtaurari poſſunt ſuppletis litteris. Titulus VII. in fine praefert formulam illam nempe *vixit annis viginti*, quae annos a Carpophoro in matrimonio exactos deſignant: mox ſequitur V. A. P. M. L. hoc eſt: *vixit annis plus minus quinquaginta*: qui numerus annorum maior totum eius vitae curſum complectitur. Perrarum minime eſt exemplum hoc duplicis enumerationis annorum vitae in Sepulcralibus Titulis Coniugum; ſed frequens, uti & ipſe obſervaſti. Sed illud notatu dignum, quod non ſolum in veteribus Chriſtianorum lapidibus, ſed Ethnicorum quoque eadem formula *plus minus* occurrit, quod & alii Viri docti iam obſervarunt; quare & hoc exemplum indicaſſe ſufficiet.

Adii-

Adiicio nunc, ut promiſeram, Inſcriptionem Iulii Valeriani, quae exſtat in meo Muſeo, in qua hinc inde Retiarii ſculpti ſunt, quam protuli, & illuſtrationibus nonnullis ornavi in Par. III. Inſcriptionum Antiquarum Etruriae Vrbium p. 99. n. 99. quam tibi nuper oſtendi, & talem erga me tui amantiſſimum Te ſemper fore, me magnopere optare oſtendi. Haec igitur habet:


IVLIVS . BALERIANVS
QVI . VIXIT . ANNIS . B . XX
NATALI . SVO . D .
SODALICIARIVS
BONVS . AMORATVS
FILETIVS . VSQVE . ATFOTSA *sic*



SYL-

SYLLOGE I.

EPISTOLARVM
CLAROR VM GALLORVM
AD V. C.
ANTONIVM MARIAM
SALVINIVM




I.

Clarissimo, & Eruditissimo Domino

ANTONIO MARIAE SALVINIO

F. IOHANNES MABILLON

M. B.



Ccepi a paucis diebus insignis libri tui exemplar, quod per Patrem Fuliensem Gallum mihi transmittere dignatus es. Miror tamdiu haesisse animo tuo memoriam mei, ut me tam praeclaro munere non indignum iudicaveris. Sed mirabilior videtur mihi multigena eruditio, quae in opere isto continetur, cum iucunda rerum varietate coniuncta. Hae scilicet modo vos recreant animorum deliciae, dum nos bellorum tempestatibus paene obruimur. O quando horum finis, ut similibus tandem studiis pasci nobis liceat. Interim fruimini vestro otio sub Serenissimi Ducis auspiciis: tuque inprimis, Vir Clarissime, concessum tibi divinitus talentum profer in Reipub. Christianae, ac Litterariae utilitatem. Dabitur quamprimum occasio sa-

faciendi memoriam praeclari tui operis in Diario Litteratorum, apud quos nomen tuum haud ignotum eſt. Ego vero ex quo e veſtris partibus diſceſſi, ſemper feci mentionem tui in frequenti conſeſsu huius Vrbis eruditorum: quod non mihi, ſed ſingulari tuo merito adſcribas velim. Iam quando me tuo munere honoraſti, perge quaeſo cultorem tuae virtutis ac eruditionis amare. Vale Pariſiis decimo Kal. April. an. MDCXCVI.

II.

Clariſſimo, & Doctiſſimo Viro

D. ANTONIO MARIAE SALVINI

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

IGnoro quod ſcribendi initium faciam, ut te, Vir Doctiſſime, pro officiis, & humanitate erga me tua digne compellem. Ex animo vere gaviſus ſum offendiſſe me virum illa eruditione, Graecae linguae peritia, modeſtia, cuius me conſortio, & confabulatione per otium Florentinum non parum utilitatis percepiſſe fatear neceſſe eſt. Otium voco, cum mihi ſpatium, & tempus offertur ad rem litterariam excolendam, cum item conſuetudine Eruditorum uti licet. Cetera omnia negotia imo πάρεργα exiſtimo. Muſas Graecas, quas colis aſſidue, mihi etiam per moram intermiſſi reditus frequentare animus eſt, &, ſi facultas ferat, Topographiam Chriſtianam ad Codicem Vaticanum quam-

quamprimum conferam. Spero me ab Eminentissimo Norisio id gratiae consequuturum.

De Vita Aesopi describenda, non est quod iterum apud te, Vir amicissime, agam; cum tute hanc provinciam ultro susceperis. Verum quae iam exscripta fuerant, imprudens mecum detuli Romam. Recordari te puto qua in clausula finem feceris scribendi. Tamen non abs re forte fuerit si moneam haec ultima esse apographi mei verba: μὴ ἔδωκας τῇ φύσει ἄνεσιν ἀλλ' ἐμπεριπάτων οὐρεῖς.

Spero me iussu Praefectorum Ordinis brevi reversurum in patriam. Id si peroptanti concedatur, Florentiam iterum concedam, ubi aliquot diebus consortio frui tuo licebit. Si me amas nostra, & nostrum Anselmum Ragusinum curato (1). Est enim φιλομαθὴς, & φιλόμουσος, si quis alius. Dominum Duccium (2) Clarissimum Bibliothecarium meo nomine plurimum saluta. Bene vale, meique memineris.

Romae tertio idus Aprileis MDCC.

(1) Is est D. Anselmus BANDURIUS, Vir Celeberrimus, quem Florentiae Graecas litteras docuit, & in antiquaria eruditione excoluit Cl. Antonius Maria Salvinius.

(2) Franciscus Maria Duccius Sacerdos Florentinus, Bibliothecae Mediceo-Laurentianae Custos, qui eius MSS. Codicum Catalogum primus adgressus est, auspice eodem Salvinio, & recensente, quo usus est idem Cl. Montefauconius.

III.

Doctissimo, & Amicissimo Viro

D. ANTONIO MARIAE SALVINIO

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

IAmiam accepi apographum tuum, Vir amicissime, de Vita Aesopi; pro qua re, ceterisque mihi collatis officiis, *εὐχαριστηρίους* hasce litteras paravi: non quo putem me posse parem gratiam referre, sed quo testificer te non apud ingratum beneficia ponere. Vellem vitae Aesopi adiecisses aliam brevissimam, quae sequitur in eodem Codice, & vix mediam pagellam occupat: si exscribere libeat, in Epistola poterit facile complicari. Abbatis Germani Epistola adversus Congregationem nostram, *κακοῦ κόρακος κακὸν ὦον*, damnata nuper Romae fuit cum Epistolis contubernalium eius ipsi similium. Hac solum de caussa remigravi Romam, & inopportune cecidit, ut proscripti libelli nuntium mature Parisios pervenire non potuerit, ut exsolverer Romanis curis; quo factum, ut Procuratoris Generalis officio in hac Curia Deputatus sim; angor & crucior, praereptum mihi esse otium litterarium: subcesivis tamen horis Itinerarium paro. Ticinum iam adveni, nunc si quis properantem interpellet (nam videor mihi iterum peregrinari) si interpeller inquam negotiis istis Curialibus, quae mirum quan-

quantum averſor, moriar ſi non perinde faſtidium ingeneret, ac ſi conſpergerer aqua faetenti. Ticinum, inquam, deveni; & ſi concitatiore curſu uti liceat, mox Mediolanum, inde Venetias petam, ubi moras facere neceſſum erit: inde ſalutata Ravenna, & Lauretana Domo, quam celeberrime Romam, poſt Neapolim, iterum Romam, per Caſſinum Montem; deinceps Florentiam, ubi plurimum confabulatus cum litterato Viro Antonio Salvinio, ruſticatum cum illo in Villam Stroziam concedam, iſtic diem totam exigam frigidiorem hieme Gallica: exinde comite amabiliſſimo Dalmata (1) in ruſticana caſa ruſticanum convivium celebrabimus. Tu, Vir amiciſſime, perge noſtra curare, & Epiſtolas Colucii Salutati, ſi quidem luce dignas putaveris, pares amico, qui curabit ſemper ut ſciant eruditi a quo profectae ſint. D. Anſelmum Mariam noſtrum quaeſo foveas, in Graecis litteris promoveas, meque tui amantiſſimum plurimum diligas, denique valeas, quod e re litteraria plurimum erit.

Romae 12. Iun. 1700.

 IIII.

(1) Hoc eſt Celeberrimo P. D. Anſelmo Maria Bandurio.

IIII.

Doctissimo, & Amicissimo Viro

D. ANT. MARIAE SALVINIO

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

ACcepi cum Epistola tua, Vir Clarissime, Vitam Aesopi transmissam a Dalmata nostro, & gaudeo plurimum indicari mihi abs te, Aesopi Fabellas secundum eius Vitam in isto Codice positas stylo diversas esse ab editis, quae Planude auctore publici iuris factae sunt; nam Planudem earumdem auctorem quoad stylum esse nullus dubito: quamobrem pergratum mihi perque iucundum erit, si cum tibi vacabit, exscribas; operae pretium namque est palam facere undenam Planudes Aesopi cum Vitam tum Fabellas hauserit. De Colucio Salutato mire gaudeo pervenisse in manus tuas istiusmodi Epistolas, quae cum Historiam illius temporis complectantur, lucem haud dubie merentur. Verum haec κατὰ καιρον. Quod autem tangis, metum esse ne stomachum Romanis faciant; ego quoque αἰδέομαι τρῶας. Sed erit forte ratio offensae cavendae: id mihi curae. Venetiis relictis, Patavii versor, propediem vela daturus, Ravennam primum, inde celeri cursu Romam; plura propediem; nam adsunt amici, qui me abstrahunt a Tabulis. Ceterum cures velim nostrum Dalmatam, ut Graece, Latineque doctus evadat; sanguis illi fervet ad stu-

ſtudia: ceterum non habet facultatem pro voto τοῦ φοιτᾷν ad magiſtrum; quare convenias ipſum pervelim, nec ſine aliqua mei abſentis memoria. Vale, & me amare perge.

Romae XVI. Kal. Aug. MDCC.

V.

Doctiſſimo, & Clariſſimo Viro

D. ANTONIO MARIAE SALVINIO

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

DIV eſt quod deſtinabam haſce tibi litteras mittere, Vir Amiciſſime; ſed interpellatus ſum mole negotiorum; hac demum hora quaſi furtim ſubduxi me a coetu adventantium domi Gallorum, quos & ſaecularis Annus, & Summi Pontificis electio, aliaque id genus Romam pellexerunt. Vnum in optatis eſt, otium, quod adſequi mirum quam difficile; quia tamen ex ſubceſſivis horis nihil amitto, ſed pro facultate deſtinatum ſtudiorum iter perſequor, Anecdotis meis non poenitendam operam contuli, pridem ſcilicet cum ἀτάρακτος agerem; nunc enim ceſſare, & intermittere δευτέρας φροντίδες neceſſum eſt. Inſcriptiones bene multas, & alia id genus monumenta hinc & inde corraſi. Itinerarium abſolvi, nuperque ingenti adceſſione cumulavi, ubi de

amicis amice, maximeque de iis, qui & opera, & consilio opitulati sunt, in queis, Vir amicissime, facile primas tenes.

Brevi depingendis Topographiae Christianae Tabellis operam dabit Vir mihi amicissimus D. Anselmus Maria Ragusinus, quem ut foveas & in studiis Graecis dirigas, te etiam atque etiam rogo. Non indignus sane tua opera est; sed & candore animi, & ingenio praeditus si quis alius. Tabellas Topographiae Christianae ex Codice Laurentiano eruere cogor, quia in Vaticano deletae pene sunt. Quaeso te, ut verba Graeca hisce Tabulis inserta, in ipsis exemplis mihi transmittendis, quo loco sunt in Codice, exscribere velis, & parce si tantum tibi molestiae adferam. Vale, Vir Clarissime, & nos Ragusinumque nostrum amare perge.

Romae v. Id. Decemb. MDCC.

VI.

Clarissimo, & Doctissimo Viro

D. ANT. MARIAE SALVINIO

BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

NE stomachere mihi, Vir Amicissime, si tamdiu moras traham, teque spectatae amicitiae, urbanitatisque virum non litteris meis salutarim

cum

cum primum in hanc urbem perveni ; ſed mole negotiorum , & adventantium frequenter amicorum, qui mihi de felici itinere redituque gratulantur, hactenus obrutus, vix demum potui hiſce ſcribendis otium conſequi , & memoriam beneficiorum repetere , quibus me tibi perpetuo adſtrictum ſcias velim . Nudiuſtertius cum Aniſſonio pactum iniimus pro Diario aliiſque Monumentorum Italicorum Tomis praelo committendis . Horum editio, Deo dante, quinta Septembris proxima inchoabitur , & ſequenti ordine digeretur . Diarium primo dabitur, hinc Italicas Bibliothecas Manuſcriptorum , tribus Tomis publicabimus : agmen ducet de chartis variorum temporum lucubratio , nec non de diverſo characterum genere, cuius ordine ſaeculorum exempla aeri inciſa dabimus : hinc de Arcanis Graecorum Alphabetis : poſt Bibliothecae ſingulae ſequentur , exinde Opuſcula varia Inſcriptioneſque ad duodecim Tomos in 4. Geſtio animo dum iſthaec cuſa , tibi , Vir eruditiſſime ſiſtere valeam . Initio anni MDCCII. quartum Athanaſii Tomum typis dabimus , pacto inito , ut iſthaec editio Monumentorum Italicorum publicationem nihil moretur . Exinde Origenis anecdota pari conditione emittentur , duobus, ut reor , Tomis in folio .

Nuper mihi reſcripſit D. Anſelmus Maria, qui iter in Gallias parat, te , Vir Clariſſime , Aeſopi Fabellas, quae ante Planudem conſcripta alio ſtylo fuere , eruiſſe, mihique tranſmittendas eidem laudato Viro tradidiſſe, qua tua eſt humanitas, prolixumque noſtri demerendi ſtudium Xenophontis Epheſiaca cum interpretatione donaveris, hic publicare curabimus, Deo dante , idque nomine

tuo ,

tuo, atque extra Monumenta Italica, nobis enim non licet ἐρωτικὰ tractare.

Nuper cum D. Anselmo agebam, ut tibi ille meo nomine Catalogum Bibliothecae Laurentianae, quod nuper in Batavia imperfectissimum prodiit, integrum, atque omnibus suis numeris cura tua absolutum postularet, edendum in Monumentis Italicis: esset sane illud, cumulus officiorum; faxo sciat, Vir Amicissime, nactum me Catalogum eiusdem Bibliothecae accuratissimum, quod ad Codices Linguarum Orientalium, nec non Graecos omnes a Combefisio, viro de re Litteraria benemerito, adornatum, quibus adiungam ea, quae ipse per Florentinum otium adnotavi. Haec quod ad illam partem, Graecos scilicet, Ebraicos, aliosque Codices digna luce erunt, penes te est, Vir Vrbanissime, ut opus totum sartum, & tectum, ut aiunt, prodeat; quod me consequuturum sperare iubet illa tua humanitas litterariaeque rei studium.

Laudatum Anselmum exspectamus, licet iamdiu litterarum nihil ab eo acceperim; inde auguror iam profectum esse; quae causa est, ut litteras ultra non dederim ipsi tradendas. Vale, Vir Amicissime, & nostri memineris.

Lutetiae decimo Kal. Septemb. MDCCI.

VII.

VII.

Clarissimo, & Doctissimo Viro

ANTONIO MARIAE SALVINIO

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

Litteras tuas benevolentiae erga me tuae plenissimas accepi, nec scribentis solum; sed deferentis etiam adfectu acceptissimas. Is viginti huius mensis auspicato huc advenit, onustus muneribus tuis, Catalogo scilicet Laurentiano, quem nancisci mirum quantum cordi fuerit. Hunc in secundo nostro Monumentorum Tomo edendum destinavi, auctum meis Combefisianisque Schedis, quae Graecos maxime Ebraicosque Codices spectant. Agmen ducet Epistola illa tua ad Serenissimum Magnum Hetruriae Ducem nuncupatoria. Reliquas item Schedas tua maxime opera concinnatas, dono ille obtulit, subsequentibus Tomis Monumentorum inserendas. Primus iamdiu sub praelo sudat, brevique prostabit: si quidem librariorum negligentia non obstet, gestit ipse tuis sisti oculis, censuraeque subiacere tuae. Iamdiu Romam adventavi, & loca illa Antiquitatis vestigiis famosa persequor. Aesopum inter Bibliothecas Florentinas cudere iubet animus: at non parum hisce turbidissimis belli temporibus a destinato cursu interpellor. Navatam mihi abs te in hisce colligendis operam, Vir Doctissime, & Amicissime, ut norint quique per orbem Litterati curabo. Inscriptionum item accessionem novam tuo An-

sel-

ſelmique noſtri labore comparatam, priſtinae ſupellectili adiiciam, quae ſane Inſcriptiones iam ad aliquot millia excreverunt. Vale, Vir Amiciſsime, mihique ſavere perge.

Pariſiis xv. Kal. Martias MDCCII.

VIII.

Clariſſimo, ac Eruditiſſimo Viro

ANTONIO MARIAE SALVINIO

F. BERNARDVS DE MONTFAVCON

S. P. D.

EX animo gaudeo, te Vir Amiciſsime, ex diuturna aegritudine convaleſcere; quare pergratae mihi litterae fuere, queis nobis ſpem offers proximam confirmandae valetudinis tuae, auctorque tibi ſum, ut vaces interim a negotiis litterariis, ut ne manſuetiores illae Muſae, dum ſtudioſius coluntur ac foventur, redintegrandis viribus officiant.

Iam proſtat Diarium Italicum noſtrum, cuius propediem exemplar tibi, Vir amiciſsime, tranſmittam. Sub praelo ſudat Euſebius in Pſalmos, opus egregium, frequentiſsimis Hexaplorum lectionibus nobilitatum. Nuſquam tot huiuſmodi lectiones comparent, quae mirum quam explicandis divinis Litteris opportunae. Etſi vero prior typis mandatur hic Commentarius; poſt Athanaſium

tamen

tamen compingetur. Subiungendus adest Eusebio Macarius Magnes tertii seculi Scriptor: quae omnia Ecclesiastica opera necdum vel a limine lucem salutarunt.

D. Anselmus Bandurius Graecis vacat felicissime; is brevi inter peritissimos accensendus: quem ille Bibliothecae Laurentianae Catalogum adtulit mihi, is multis suis partibus mutilus est; quamobrem te etiam atque etiam, Vir Amicissime, rogo, ut procures ea mihi transmitti, quae supersunt. Illud esse Magni Hetruriae Ducis placitum non ignoras: nec alicuius esse usus potest Codex ille ita mancus, cum multa desiderentur, quae mihi pernecessaria sunt.

Gratissima mihi accidit Inscriptio duodecim Carminibus Graecis adornata, cum eleganti interpretatione, quam addidisti. Quae, si mihi maturius advecta fuissent, in Diario Italico cum aliis bene multis Inscriptionibus edidissem.

Cum primum recreatus omnino a morbo fueris, quaeso te, mihi transcribas epistolam, cuius initium ἀνόητος ἂν εἴην, quae in Codice 16. Plutei LVIII. & licet anepigrapha sit, ex opinione in Catalogo Athanasio adscribitur. Diarii Italici exemplar item ad D. Abbatem Sanctae Mariae, aliudque ad V. Cl. Antonium Magliabechium prima data occasione mittam. Vale, Vir amicissime, meique memineris.

Lutetiae pridie Idus Novembres MDCCII.

VIIII.

VIIII.

Clarissimo Doctissimoque Viro

ANTONIO MARIAE SALVINIO

BERNARDVS MONTEFALCONIVS

S. P. D.

IAmdiu mihi notum est, Vir Eruditissime, & experientia compertum, te libentissime Viros litteratos, qui ex diversis Europae partibus in Italiam concedunt, excipere, ipsisque, in iis maxime, quae rem litterariam spectant, favere. Hac fiducia permotus Vir Nobilis D. Orvillius Batavus, omnigena litteratura excultus, mihique amicitia coniunctissimus, te adit hisce litteris instructus. Quem, ut cum solita innataque tibi humanitate excipias, te etiam atque etiam rogo Ardet is studio visendarum Bibliothecarum, Musaeorum item, & Monumentorum cuiusvis generis, quibus omnibus abundat Italia, ac prae multis Vrbibus Florentia. Hunc si foveris, Vir Clarissime, si ad Bibliothecas, & Gazas literarias induxeris, ipsique Eruditorum vestratium notitiam, familiaritatemque conciliaveris, rem mihi pergratam perqueiucundam facies, immortalesque tibi gratias habiturus sum. Vale, Vir Clarissime, & Eruditissime, meique memineris.

Dabam Lutetiae x. Kal. Iul. MDCCXXVI.

X.

MONSIEVR.

JAY mille graces a vous rendre pour l' Ouvrage que nous croyions étre de S. Athanase, que vous aves eu la bonté de copier pour moy. C' est une des lettres imprimeés de Synesius et ainsi elle ne me servira quá tirer des diverses leçons pour ma Bibliotheque des Autheurs Grecs ou je travaille depuis 17. ans. j' ay receu tout le Catalogue de la Biblioteque de S. Laurent, et j' espere que je le feray bien toût imprimer, avec une suite des charactères Grecs de tout age. je vous envoye mon *Diarium Italicum* dans un paquet addresfé au tres Reverend Pere Abbé di Badia qui avra la bonté de vous le mettre en main. je continue toujours a imprimer mon S. Athanase avec Eusebe de Cesarée sur les Pseaumes. Voius un mauvais tems pour le commerce des Livres, il faut en esperer un meilleur. D. Anselme vous a écrit trois lettres auxquelles il n' a point revu de réponse, le religieux est infatigable. je crois que MS. les Italiens leus auroat bein de l' obligation d' avoir deterreé tant de beaux ouvrages du fameux Petrarque et des ouvrages Grecs qu' il prepare pour les donner bien tôt au public. je vous preé de moyaimer trovjours et de me croire tres sincerement Monsieur

Votre tres humble et tres obeissant Serviteur

Fr. Bernard de Montfaucon.

SPE-


S P E C I M E N

ADNOTATIONVM & EMENDATIONVM

C. V. ANTONII MARIAE SALVINII

AD CAP. XVIII. DIARII ITALICI

CELEB. D. BERN. DE MONTFAUCON.



ADnotationes atque Emendationes plurimas Doctiſſimi SALVINII, quas ad oram Diarii Italici Montfauconiani ſcripſit, ſi probari videro, adferam in ſequentibus Volum. mearum SYMBOLARVM. Interim Specimen hoc damus, ne vacet haec pagella.

Pag. 422. ad Inſcript. I.

Φ Α Ι Α Κ Ο Σ   Ι Ν Η   Δ Ι Ε Ι   Υ Ψ Ι Σ Τ Ω
Ε Υ Χ Η Ν

Haec Salvinius: ἶν, ῆ, ideſt, Διῒ, Ζεῦ Υψιςε, Μέγιςε.
Forte: *Phaeacis. i. Corcyraei.*


Pag. eadem ad Inſcript. II.

Α Π Ο Λ Λ Ο Δ Ο Ρ Ω Σ   Α Π Ο Λ Λ Ο Δ Ο Τ Ο Υ . Π .
Ν Ε Υ Σ Α Σ   Κ Α Ι   Ο Ι   Σ Υ Ν Α Ρ Χ Ο Ι   Φ Ι Λ Ω Τ Α Σ
Ι Α Κ Χ Ο Σ   Κ Ο Σ Α Π Ε Λ Ο Υ   Ν Ι Κ Α Ν Ω Ρ
Ν Ι Κ Ο Σ Τ Ρ Α Τ Ο Υ   Θ Ε Ο Ι Σ

In ver. 1. & 2. Π. ΝΕΥΣΑΣ. forte ΠρυταΝΕΥΣΑΣ
In ver. 3. ΚΟΣ, delet *Salvinius*, legit forte ΑΠΕΛΛΟΥ.
In verſione ſubiecta linea notat, *annuit*, *&* *una* Socii; adſcribit, *&* *Collegae*.

MV-

MVSEI
BONAMICIANI
PRATENSIS
BREVIS DESCRIPTIO



NOBILIBVS VIRIS NEPOTIBVS

CASIMIRO BONAMICO

EQVITI ORDINIS D. STEPHANI


PETRO BONAMICO I. V. D.

INNOCENTIVS BONAMICVS

BASILICAE PRATENSIS

Canonicus , Theologus , & Poenitentiarius .





Vum plurima venerandae Antiquitatis monumenta ſummo labore ac ſtudio publico bono conquiſierim , & induſtrie collegerim , hoc praeſertim tempore , quo non Optimates tantum , & maxime ſtudioſi Viri , ſed proletarii etiam paſſim homines, oppido rude s & illiterati , inani quadam ambitione Antiquariam Gazam ad quaeſtum potius ſuum , quam ad ſtu-

dioſorum utilitatem publicam comparare contendunt ; verebar ne meum poſt obitum hae praeclarae, eruditaeque Vetuſtatis deliciae meae, per manus ignaras diſtractae, penitus interirent. Sed quum in Vos, NEPOTES apprime mihi cari, oculos intenderem, gaudebam ſummopere, me egregios Iuvenes liberalibus diſciplinis excultos heredes rerum mearum teſtamento relicturum ; atque non dubitabam, Vos praeclara indole praeditos, maximi, ut ratio poſtulat, meam tot illuſtrium monumentorum collectionem, poſteroſque veſtros aeſtimaturos.

Verum enim vero dum haec mecum animo identidem cogitarem, opere pretium me facturum duxi, ſi dum hac fruor luce, Dei Optimi Maximi beneficio, vobis huiuſmodi meae Litterariae hereditatis ſeriem, ac praeſtantiam paucis oſtenderem. Primum igitur pluſquam quingenta ex argento, & aere, adde etiam non pauca ex auro Numiſmata Imperatorum Caeſarum Auguſtarumque in meis Cimeliis recondita cernitis, & optimae quidem notae, & ſpectandae integritatis ; quorum non omnino ſpernendam ab Iulio Caeſare Dictatore, uſque ad Principes filios Theodoſii, quem Theodoſium Magnum appellant, ſeriem fere completam, non parvo ſane labore, & ſumtu comparavi. Sunt etiam in meis Forulis antiquiora quaedam ex aere Numiſmata, ſive Monetae ex aere fuſo priſcorum Italorum, Etruſcorum, Siculorum, & Romanorum, quae libralis aſſis partes ſunt, quorum pondus quibusdam notis declaratur. His accedunt Numiſmata non pauca argentea, praeſertim quae Romanis antiquis Familiis tribuuntur. In hiſce ex omni modulo ac magnitudine Numiſmatis ſumma cum volu-

luptate, miroque eruditionis proventu multa notatu, atque obſervatu digna ſpectantur in eorum poſticis partibus, ad quae omnia Viri docti omni eruditionis fruge ornatas Diſſertationes, & Obſervationes elucubrarunt: Templa nimirum, Arcus, Aquaeductus, Tropaea, Praelia, Profectiones, Proceſſus Conſulares, Victoriae, Congiaria, Adlocutiones, Carpenta, Triumphi, Ludi, Sacrificia, Apotheoſes, & alia atque alia bene multa, quae priſcam omnem Hiſtoriam, & cum hac coniunctam Chronologiam, veritatis ac temporum teſtem, inluſtrant, & rei Nummariae ſcientiam praecellentiſſimam atque utiliſſimam oſtendunt, omnemque priſci aevi cognitionem ſtudioſorum oculis praeſentem, quaſi facem lumenque tutiſſimum ac micantiſſimum, conſtituunt. Accedunt etiam aliquot ex pluribus delecta Numiſmata Graeca, quae veterem Geographiam elucidant, vel aliis Urbium nominibus augere poſſunt.

Exſtant praeterea in mea penu antiquaria complura ex aere ſigna, & ſimulacra, quae vulgo *Idola* audiunt, eximiae raritatis, & elegantiae: inter quae illud certe rariſſimum memorare lubet totum argenteum, mira arte elaboratum, quod ex antiquis inſcriptis aris, editis penes Gruterum, & ex Donianis, PANTHEVM SIGNVM adpellari poteſt. Refert enim Deam, quae adiectis, & in unum coacervatis ſymbolis, referre videtur Fortunam ſtantem, ſive Iſidem, Hygiam, Cererem, Pomonam; quod luce dignum cenſuit amicus meus optimus ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS, de Antiquitate, quam multis curis illuſtravit, egregie meritus: quod ut abs Te, EQVES CASIMIRE, delineandum curarem, & ad eum mitterem, benevolo animo monens, impetravit, & huc addu-

cere in ornamentum huius Descriptionis, utpote ob raritatis laudem spectatu dignissimum, factu optimum ei visum est.



Signum hoc Pantheum huiusce magnitudinis, faberrimo artificio absolutum, evasit avidas barbarorum, sive maleferiatorum hominum manus, qui illud non conflarunt; quod fatum infinitis propemodum similibus signis contigit. Si quis censere voluerit, pro donario dedicatum fuisse *Fortunae Pantheae*, non repugnabo; constat enim signa huiusmodi argentea Diis dedicata fuisse, quae non raro in antiquis aris, & scriptis marmoribus indicantur. Hinc Iovis, Mercurii, & Apollinis argentei mentio occurrit, & interdum pondo argenti notatur. Huic omnino simile aereum signum Pantheum eiusdem Deae, altitudinis uncia-

ciarum fere decem apud me exſtat . Notandum eius caput ornatum parva columella , cui imminet Luna ſilens ; Lunae vero polus impoſitus ornatus loti flore . Serpenticulus dextro brachio circumvolutus tam eleganter eſt , ut quodammodo armillam conficiat pro ornamento , qui , capite in craterem immiſso , aliquid depaſcere videtur .

Sed inter cetera Deorum Dearumque ſigna , quae penes me ſunt ex aere , illud Veneris valde elegans , egregia arte perfectum , minime ſilentio praeterire poſsum . Praetereo tamen ſculpta quaedam marmora ; ſed unum prae ceteris marmoreum ſimulacrum bipedale memorare lubet . Pallio tectum habet dextrum humerum , nudo relicto pectore , ſub quo idem pallium circumvolutum eleganti artificio ad crura uſque recidit , cuius pedes nudi ſunt ; dextro vero brachio ſerpentem tenet , quo habitu ac ſymbolo multos , quos vidi refert , qui quamvis baculo careant , tamen a peritis Antiquariis Aeſculapio tribuuntur , a nonnullis quoque cenſetur referre Genium , ſive Praeſtitem aliquem Deum domeſticum , cui etiam ſerpens tribuebatur . Nimius eſsem ſi vellem ſingillatim cetera Deorum ſimulacra apud me permulta , fuſius deſcribere , obſervatione quidem digna , quae ſtudioſis , nobiſque ipſis non modicam eruditionis ſeu copiam , ſeu voluptatem ſuppeditare poſsunt . Satius duxi ea Vobis commemorare , ut omni ſtudio , & cura apud Vos ſervare velitis haec monumenta , nec ſinatis (quod probro Vobis vertendum eſset) vel diſtrahi , vel interire .

Complura etiam antiqua penes me ſunt apoſphragiſmata , ſive ſigilla ex aere litteris inſculpta , quibus veteres Romani , eorumque exemplo Itali , & Etruſci maiores noſtri ſupellectilem ſuam , & alia

ad quotidianum usum parata obsignare consueverunt. Adcedunt aliqua omnium vetustissima ex aere Deorum, aut Heroum signa: non pauca etiam donaria, anathemata, & amuleta, quae classem suam constituunt. Cum his coniungendi Nummi priscorum Etruscorum ex aere fuso conflati, symbolis, notis & litteris distincti, qui magno sane in pretio habendi sunt. Ex his aliquot in nostris hisce Sabinianis praediis, ut scitis, eruta sunt, & adlata a Cl. GORIO in Par. II. Inscriptionum Antiquar. Etruriae Urbium pag. 121. ubi Pistoriensia, & Pratensia antiqua monumenta protulit, & illustravit. Adservantur etiam in hisce meis Forulis aliquot ahenea, quae ad Mythologiam, & veterem Gentium Theologiam illustrandam pertinent monumenta, anaglypho opere caelata. Neque in his undequaque adsiduo studio conquirendis prisci aevi elegantissimis lauticiis desiit cura mea; sed his adieci perraram messem Nummorum ex aere, & argento, medii aevi, quibus pecuniae loco Barbari populi, pulcherrimae Italiae invasores, vel liberae Civitates, Reguli, Principes, Dynastae, maiorum nostrorum aetate utebantur. Syntagma hoc Nummorum medii, sive sequioris aevi, eruditi ac studiosi homines ad Historiam cum nostram, tum Italiae locupletandam, & illustrandam libenti animo accipient: siquidem probe mihi, Vobisque compertum est, quanti Clarissimus Vir LVDOVICVS ANTONIVS MVRATORIVS, Italiae decus, & alii excellentissimi Scriptores huiusmodi Nummos fecerint. Ego vero, quamvis pro viribus adlaboraverim, ac non parum meam iisdem Collectionem ditaverim; attamen non, quod in votis erat, consequutus sum: scio enim adhuc superesse multarum Rerumpublicarum me-

mediocris notae monetas, quas eaedem percusserunt, quas quidem nondum invenire potui; sed, Deo dante, si vita superest, me eas quoque conquisiturum non despero. Prisci Patres Pistorienses eo tempore, quo sua libertate utebantur, & feliciter fruebantur, propriam habuisse monetam, ut aliae Civitates, ac Respublicae habuere, cordati homines adfirmarunt. Pratum quoque, olim liberum oppidum, nunc Civitas omni cultu referta ac pervenusta, quod proprios cuderet numos, suadent non inanes coniecturae; & praecipue quidem monimenta *Codicis Diurni* anni MCCCIV. pag. 34. a tergo, nostri Pratensis Generalis Archivi. Saepe numero a senibus, & doctis maioribus nostris audivi Xystum, sive Ambulacrum (vulgo *Loggia*) quod hodie clausum est sub aedibus Nobilium Oricellariorum prope SS. Trinitatis aedem, antiquitus vocatam fuisse *la Zecca Vecchia*, nempe veterem Officinam Monetariam; quae omnia fusiore calamo elucidantur a me in *Pratensi Historia*; cuius priorem partem nuper legi eruditissimis Collegis meis Sociis Columbariis Florentinis, a quibus ea haud improbata est. Verum tum Pistoriensium, tum Pratensium nullam potui ad hoc tempus monetam cernere, aut reperire. Equidem possideo quosdam aereos orbiculos, veluti monetas, typis percussos insignibus Populi Pratensis signatos; sed utrum vere fuerint huius nationis Nummi, an potius tesserae mercatoriae, ut aliqui volunt, adfirmare non ausim.

Quod attinet ad memoratum Xystum, Ambulacrum Pratense, iam a me persaepe audistis, hoc ipsum iuris olim fuisse antiquae, ac nobilissimae Pratensis Familiae de Pugliesibus, quae una cum Gente Rinaldeschiorum (e qua sati sunt Nobiles, & Generosi Naldinii, Patricii Floren-

tini

tini) capita fuere Prati factionis Ghibellinae, de quibus fusius in memorata mea Pratensi Historia.

Anulares Gemmas a praestantibus Graecis Opificibus scalptas, quanti fecerint antiqui homines, nemo est, qui ignoret. Has quoque eruditae Antiquitatis delicias, & quidem selectas, comparare non supersedi. Non paucas igitur Gemmas a priscis Caelatoribus eleganter incisas habetis, e quarum numero eas omni eruditione tum Graecae, tum Romanae Gentis plenas, ubi contigerit eorum numerum augere, vestris oculis accurate delineatas subiicere non praetermittam.

Meam tandem litterariam venerandae Vetustatis Syllogen exornant, & locupletant complures Chartae membranaceae, exoticis characteribus, Longobardorum more, & stilo exaratae, quae eorum politiam, leges, consuetudines, mores, instituta nobis exhibent, ac testantur. His iungendi permulti Codices pervetusti, & inter hos Psalmorum Libri, picturis perita antiquorum Monachorum manu condecorati. Multa quoque apud me exstant manu conscripta Volumina doctissimorum Virorum, in quibus praesertim permultae Epistolae immortalis Galilaei nondum typis demandatae habentur.

Iam etiam vobis prospectae sunt non paucae Icones, quae Effigies referunt vel Principum, vel illustrium Virorum, quas praestantes Pictores penicillo egregie pinxerunt; Chartae quoque aliis similibus Iconibus ornatae ex aereis Tabulis desumptae; praeter non spernendam collectionem plurimarum chartarum rariorum Caelatorum magni nominis, nempe Callot, Sangalli, Stephani della Bella, & aliorum, qui incisoriae Artis laude valde apud nos, & exteros inclaruerunt.

Mi-

Minime Vos taedebit, ſed volupe erit evolvere, & ſcrutari complures, & ingentes meos Codices, in quibus Excerpta noſtrorum Archivorum continentur; neque etiam manu diurna, nocturnaque verſare vos pigebit multas Chartas, & Inſtrumenta, & paginas, in quibus complurium Populorum, & multarum Familiarum Italicarum, praeſertim Florentinarum, ac Pratenſium, tum publica, tum privata facta, conventiones, pacta ſervantur, & exponuntur, quas ipſe congeſſi.

Hanc igitur meam antiquariam Supellectilem, veterumque omnis generis elegantiarum Collectionem, quam Vir Clariſſimus, paullo ſuperius a me memoratus, Antonivs Franciscvs Gorivs Florentinus, & ex his nonnulla in Volumine II. Inſcriptionum Antiquarum Etruriae in lucem protulit, vel deſcripſit, & Eruditiſſimus Ioseph Blanchinivs Pratenſis, Mvsevm Bonamicianvm adpellant, veſtris curis Nepotes carissimi, committo, & etiam atque etiam commendo. Commendo quoque meam non quidem magnam, ſed multis eximiis excuſis exemplaribus refertam Bibliothecam, quae quidem non eſt Bibliotheca illa, quam Ioannes Franciscvs Bonamicvs, & Bonamicvs eius germanus frater, Maioribus noſtris legato inſtituto, ex teſtamento reliquerunt: copioſam enim ac praecipuam gazam librariam Excellentiſſimus Iuris Conſultus Ioannes Franciscvs Bonamicvs adquiſierat, qui ob egregiam doctrinam, probitatem, & inſignia munera, Canonicus Poenitentiarius Metropolitanae Eccleſiae Florentinae, & Alexandri Cardinalis Medicei, Florentinae Eccleſiae Archiepiſcopi, Vicarius Generalis renunciatus eſt, & obiit anno R. S. mdlxxxvii.

Neque minoris omnino praeſtantiae, & raritatis

tatis fuere Libri Hiſtorici, Geometrici, & alii omnigena eruditione inſtructiſſimi, quos filiis ſuis ex teſtamento reliquit eiusdem Praeſulis frater BONAMICVS, Equeſtris Ordinis D. Stephani inſignibus, & munere decoratus; quibus cum non pauca etiam fuere Ethnicorum ſigna, ſive Idola, & duodecim capſulae aureis, argenteis, aereiſque ex omni modulo numiſmatibus, & quidem inſignibus, plenae; quae omnia heredum incuria, dum ſe ipſos invicem multis controverſiis, ac litibus diuturnis vexarent (proh dolor!) penitus periere, atque ubique gentium diſtractae, ita peſſumdatae ſunt, ut vix nomen tam eximiae, & copioſae ſupellectilis ad nos pervenerit: quod fatum, quoties mihi cogitanti in mentem venit, non ſine ſumma animi aegritudine, deflere, ac memorare poſſum.

Id ipſum in cauſa potiſſimum fuit, ut hanc perbrevem mei Muſei Deſcriptionem typis vulgandum permitterem, quae apud vos ſervata, meas curas Vobis poſteriſque veſtris teſtaretur.

Vobis vero meas haſce hereditarias Delicias longe iucundiſſimas, ſemper in pretio habendas, fore confido: e veſtro enim ſanguine, Deo dante, fortaſſe filius naſcetur egregiae indolis, qui ingenuis facultatibus ac diſciplinis probe veſtra ac mea cura excultus, huius meae litterariae, & antiquariae Supellectilis, & BONAMICORVM Familiae nomen, & gloriam, ut ſpero, amplificabit.

Haud enim deſunt Domus noſtrae Illuſtrium Virorum exempla, quae vobis, poſteriſque veſtris proponi poſſint. Minime Vos latet, quot in lucem protulit opera MATTHAEVS BONAMICVS, Romae I. V. D. qui compluribus Principibus, Proceribus, ſummiſque doctrina, & dignitate Viris apprime carus, inter doctiſſimos homines ſeculi *XVI.* connumeratus eſt. Ob-

Obverſatur oculis veſtris fama nominis BLASII BONAMICI, qui anno humanae Redemptionis MCCCCXCVII. eximius Legum Doctor duo Volumina Conſiliorum reliquit ; & quae de GASPARE etiam BONAMICO Ordinis Vallis-Vmbroſae Abbate celeberrimo ſcripſit Domnus Venantius Simus : Gaſpar *Pratenſis originem ducens a conſpicua ſatis Familia de* BONAMICIS, *Monachus Vallumbroſanus, & Abbas SS. Trinitatis Florentiae, Vir fuit magni ingenii, & ſummae auctoritatis apud Florentinos: ipſi enim tanti* GASPAREM *Abbatem aeſtimaverunt, ut circa negotia publica nihil ipſo inconſulto auderent decernere; quapropter Conſiliarius publicus illius ampliſſimi Magiſtratus fuit dictus, &c.* FLAMINIVS quoque BONAMICVS, Vir humanioribus ſtudiis addictus, qui ſtilo elegantiſſimo patriam ſcripſit Hiſtoriam, quae inter manu ſcripta Volumina meae Bibliothecae ſervatur, occurrit. Tandem quis, & quantus fuerit IOANNES FRANCISCVS BONAMICVS, Avus meus Clariſſimus, Vos ipſi probe ſcitis, & perſpicue oſtendit eius ſepulchralis Inſcriptio Prati in Eccleſia Sancti Auguſtini inter cetera noſtrae Familiae avita monimenta repoſita, quam hic adferre in laudem tanti Viri non abs re iudicavi ; & quidem non mutato verſuum ordine, ſed prout iacet, & legitur marmori inſculpta, ſervata eius orthographia.

D. O. M.

D. O. M.

IO. FRANCISCVS BONAMICVS I. V. D. EQVES D. STEPHANI
EQVITIS PETRI BONAMICI NOBIL. PRATEN. ET SPOLETINI EX LIVIA
LAVRENTII CARNESECCHI PATRICII FLOREN. SEREN. M. D. HETRVRIAE
NOBILI PVELLA. FILIVS ARCHID. AVSTRIAE
A SECRETIS DEINDE VVOLFANGI VVILHELMI DVCIS BAVARIAE
AC NEOBVRGI S. R. I. COMITIS PALAT. RHENI &c. &c.
BONI REGIMINIS A CONSILIIS ET PRO EODEM AD PHILIPPVM IV
HISPAN. REGEM A QVO ILLVSTREM HABITVM ORDINIS S. IACOBI
SIBI IMPETRAVIT ET APVD VRBANVM VIII. P. M. LEGATVS
GLORIA IMMORTALI PLENVS DOMVM REVERSVS A FERDIN. II
M. HETRVRIAE D. OPTIMO PRINCIPE PLVRIBVS ADHIBITVS NEGOCIIS
AC DE PATRIA OPTIME MERITVS SENIO ET STVDIO BONARVM
ARTIVM CONFECTVS OBIIT A. D. MDCLXIX.
PETR. ET MATT. EQVITES D. STEPHANI
FILII MOESTISS. PATERNAE GLORIAE M. HOC PP.

Haec


Haec igitur vobis isthac mea Epistola memorare volui, non ambitionis, aut gloriolae actus stimulis, sed benevolentiae causa, studioque in perpetuum servandi vetera, quae conquisivi Monumenta; ut tanto alacrius iter honoris & gloriae, more, & exemplo Maiorum nostrorum, conficiatis, & meos amores, ac delicias, eruditae Antiquitatis monumenta, omni cura servetis, nec dispersa ac distracta ullo unquam tempore ire sinatis; sed mei erga vos amoris, liberalitatis, & studii perpetua apud Vos posterosque nostros, quibus & Vos magnopere eadem commendabitis, exstent testimonia, & argumenta.


Deus Optimus Maximus caelestia dona sua vobis omni tempore largiatur. Valete, & me, qui Vos tanquam filios semper amavi, & rem vestram auxi, ac tuitus sum, semper diligite.


E Sabiniano nostro Rure, Autumnalibus Feriis, A. R. S. MDCCXLIV.



G. ETRVSCI PAESTANORV̄








tant in Musco Gorio
useo Acad. Etrusc. Corton.

Vinc. Franceschini Sculp.

NVMMI EX ARG. ETRVSCI PAESTANORV







I. II. extant in Museo Gorio
III. In Museo Acad. Etrusc. Corton.

Vinc. Franceschini Sculp.





Sign. ex aere huius magn. Flor in Mus. Nardio. *V. Franceschini sculp.*